12431/A/#
28.F.3.

12431/A 42550

Viri Doctiſſimi

THOMÆ BARTHOLINI DE LIBRIS LEGENDIS DISSERTATIONES,

Quas

Propter raritatem ac Præſtantiam

Publicæ luci reſtituit,

& de

VANA LIBRORUM POMPA

Præfatus eſt

JOH. GERH. MEUSCHEN,

V. D. M. A. C. Eccleſiæ Haganæ.

FRANCOFURTI,

Apud NICOLAUM WILDT, Bibliopolam.

CIↃ IↃ CC XI.

MORHOFIUS *In Polyhiſtore Lib. I. cap. XVI.*

THOMAS BARTHOLINUS magni Vir Nominis, non inter Medicos tantum, ſed & inter Polyhiſtores & Philologos, ſub extremam ætatem Bibliothecæ Academicæ Hafnienſi admotus, occaſionem nactus eſt, Commentarium *de Libris Legendis* ſcribendi. Parvæ quidem liber molis eſt, ſed in quo quaſi conſtipata ſunt utiliſſima de Libris monita & notitiæ ad multas diſciplinas utiles.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

ILLUSTRI. AC. PRÆNOBILI.
DOMINO.
VALENTINO.
ZIGELIO.

SERENISSIMI.
BRUNSUICENSIUM. LUNEBUR-
GENSIUMQUE. DUCIS
CONSILIARIO. GRAVISSIMO.
ET. APUD. POTENTISSIMOS.
BELGII. FOEDERATI. ORDINES.
RESIDENTI. MINISTRO.
VIRO.
ERUDITIONE. SAPIENTIA.
PRUDENTIA.
MAGNISQUE. PER. UNIVERSAM.
GALLIAM. NARBONENSEM. AQUI
TANICAM. LUGDUNENSEM.
HISPANIAM.
ALIASQUE. DISSITAS. TERRAS.
PYTAGORÆO. MORE. INSTITUTIS.
ITINERIBUS.
VALDE. INCLYTO.
MULTORUM. MAGNATUM. DELICIIS.
VIRTUTIS. AC. PIETATIS. SIMU-
LACHRO.

ANTIQUÆ. FIDEI RARO. EXEMPLO.
BONARUM. ARTIUM. PROMOTORI.
ERUDITORUM. MOECENATI.
ECCLESIÆ. NOSTRÆ. FULCRO.
A C.
FAVITORI. SUO. OPTIMO.
PAUCAS. HASCE. PLAGULAS.
LICET. EX. PARTE. TANTUM. SUAS.
I N.
GRATI. ANIMI.
CULTUS. SUBMISSI.
MAXIMÆQUE. OBSERVANTIÆ.
T E K M H P I O N.
D E V O T A. M E N T E.
LIBAT. AC. SACRAT.
THURAQUE. ARDENTIUM. PRECUM.
PRO. EJUS.
VITA. ET. FELICITATE.
PERPETUAQUE. SALUTE.
MORE. ANTIQUO. ACCENDIT.
ILLUSTRIS. EJUS. NOMINIS.
CULTOR. PERENNIS.
JOH. GERH. MEUSCHEN.

Lectori Benevolo ac Chriſtiano ſalutem dicit gratiamque precatur

Joh. Gerh. Meuschen.

§. 1. *EX quo vere eruditi ſapienteſque viri univerſum terrarum orbem eruditionis ſuæ gloria impleverunt, magniſque ideo honoribus ſunt affecti; ſurrexere ſtatim multi, qui eadem gloria incitati, certatim eam indefeſſo ſapientiæ ac bonarum artium ſtudio aſſequi conati ſunt. Imo tanta fuit hujus gloriæ vis, ut ea quoque ignaviſſimi ventri grabatoque diditi homines fuerint capti, omnique niſu illuſtre eruditorum nomen ambierint. Verum, quia hiſce nimis arduus ad veræ eruditionis culmen videbatur aſcenſus, viaque ad id ducens nimis difficilis, & abſque multo labore, ſudore, diligentia, difficultate ac vigiliis haud conficienda, in aliam a recta via deflexere orbitam, quærentes non tam veræ ſapientiæ ac eruditionis incomparabiles gazas,*

quam

quam vanam ejuſdem externam ſpeciem, vanumque eruditi abſque eruditione nomen, contenti, ſi modo umbram pro Junone amplecterentur.

§. 2. Hunc finem, nempe inane ſolùm eruditi nomen, ut conſequerentur, eoque mundo fucum facerent, indoctiſque illuderent, varias inclareſcendi artes effinxere, ut magnam titulorum Pompam, Curioſitatis nimium ſtudium, amorem antiquitatis, ſtudium diſputandi, ampullas verborum, genus dicendi obſcurum ac inuſitatum, Opiniones vel novas vel Paradoxas, multa aliunde exſcripta allegata, πολυγραφίαν, *externam* πολυιστορίαν, *aliaque innumera, alibi in Diſſ. mea de* Præjudicio Auctoritatis *jam fuſius expoſita. Præprimis hanc gloriam quæſivere, hodieque quærunt, vana magnaque librorum pompa.*

§. 3. Omne itaque Studium collocant in conquirendis undique libris, ac inſtruenda magna Bibliotheca, qua ſi gaudeant, ipſam ſe poſſidere ſapientiam ac eruditionem ſibi perſuadent. Occurrunt in dies hujus generis homines quam

plu

plurimi, qui licet literarum ſint rudes, diſciplinarum incapaces, bardi, Davi, tamen eruditorum numero adſcribi volunt, ex ea ratione, quod eruditorum labores, libros ac ſcripta magno pretio, uti olim quidam Epicteti Lampadem, ſibi comparaverint, ac in ſcriniis ſuis non in pectoribus arcte cuſtodiant. Hinc ſi facultates ipſis affluunt, undique ex variis Regionibus ac diſſitis ſæpè terris, exque omnibus Officinis ac Librorum Auctionibus, libros corradunt, comportant, & quidem abſque ſelectu, abſque ordine, abſque ſcopo, abſque ulla Librorum cognitione. Emunt enim ſcripta, quæ ipſos latent, quorum contenta neſciunt, quorum titulis falluntur, quorum uſus eos fugit, quorum Auctores illis ſunt Africa nomina, nunquam ſæpe anteà audita, vel tantum ab aliis ex eodem ſemidoctorum genere commendata. Et quo magis erudita ſuppellex admiretur, operam navant, ut pretioſiſſimas ſplendidiſſimaſque licet ſæpe viliſſimas, quales ſunt plurimæ in uſum Delphini, editiones Auctorum habeant,

utan-

utanturque charactere chartæ, ut dicitur Regiæ, impreſſæ, quo eo magis ſplendor Bibliothecæ, ac illuſtris, ſi Dîs placet, eorum nominis eluceſcat. Et ad hunc ſplendorem promovendum accedit ſplendida, & quidem vel Gallica, vel Italica, vel Anglica, æqualis Librorum ligatura, denudanturque libri priori, licet adhuc mundo, eleganti, longoque uſui inſervienti veſtimento, & vel Gallico, vel Anglico habitu teguntur, ut eo magis externo aſpectu placeant ſuis poſſeſſoribus, ab interna inſpectione & lectione abhorrentibus.

§. 4. *Equidem non averſor nec improbo elegantem exteriorem librorum cultum ligaturamque, probe ſciens dignos eſſe pretioſiſſimis involucris claros ſcriptores, ſed deteſtor ſolummodo externum eorum cultum, qui cum interno, in crebra lectione conſiſtente, non eſt connexus. Non exararunt tanto ſtudio optimi ſcriptores ſua ſcripta, ut in tegumentis auro argentoque variegatis incluſa Pompæ inſervirent, ſed ut diurna nocturnaque manu verſarentur, iiſque homines erudiren-*

diren-

erudirentur. Arridet mihi hic S. HIERONYMI (in prolegom. in Jobum) *judicium* : Habeant, qui volunt, veteres libros, vel in membranis purpureis auro argentoque deſcriptos, vel uncialibus, uti vulgo ajunt, literis onera magis exarata, quam codices, dummodo mihi meiſque permittant pauperes habere ſchedulas, & non tàm pulchros codices, quam emendatos.

§. 5. *Exornant porro Bibliothecas ſuas variis doctorum virorum imaginibus, non ut iis, qui præcipuus ac genuinus harum imaginum in Bibliothecis uſus eſt, velut calcaribus ad imitationem tantorum virorum in virtute ſapientia ac eruditione incitarentur, ſed ut pompa vanaque gloria magis iis extollatur. Quam & augent multitudine antiquiorum (ſed utplurimum fraudulenta ac ſubtili novi artificis manu confectarum) ſtatuarum deorum dearumque gentilium, picturarum, gemmarum, variarumque, quas Antiquitas coluit, Reliquiarum: Eoque quidam, ſive dementiæ ſivè temeritatis,*

procedunt, ut non vereantur oſtendere Orphæi lyram, Diogenis peram ac baculum, Herculis clavam, apri Calydonii cutem, Anubis ſimulachrum, Æſchiti pugillares, Areopagitarum bacillos & mille alia riſum potius quam fidem merentia, quibus hi homines majorem gloriam aucupantur. Taceo manuſcripta, quæ ſibi quoque comparant, cum tamen ea vix ac ne vix poſſint legere, nec eorundum ætatem diſcernere, antiquiorum characterum notitia plane deſtituti.

§. 6. Bone Deus! quot ubique Terrarum reperiuntur hujus generis homines, elegantiſſimis inſtructiſſimiſque ſæpe Bibliothecis ſuperbientes, quibus tamen nunquam utuntur, quarum libros per univerſam ætatem ne ſemel, fugitivo licet oculo, inſpiciunt, imo quos ipſimet ne quidem norunt. Iſtiusmodi homines Tantalo ſimiles eſſe videntur, ſitientes in mediis ſapientiæ undis. Ludovicus XI. Galliarum Rex, ut G. SALDENUS (de Libris cap. VIII. p. 222.) *refert, eos facete comparavit gibboſis; nam cum de illi-*

illiterato quodam audiviſſet, quod inſignem multisque libris refertam Bibliothecam haberet; dicebat: Homo ille gibboſo mihi ſimilis videtur, qui licet magnum geſtet in tergo gibbi onus, numquam tamen id intuetur.

§. 7. Condonanda interim hiſce hominibus facile ſua dementia eſſet, ſi, licet ipſi libris ſuis non utantur, alios tamen veræ eruditionis cupidos, ad eorundem uſum admitterent. Sed denegant quoque eundem omnibus, & optimos quoſque non ſolum canino more ab aditu ſuarum Bibliothecarum excludunt; ſed & communicationem ſuorum librorum iis, in totius ſæpe rei literariæ damnum, denegant: more avarorum, qui quoque ſoli ſuis theſauris inhiant, eorum extero aſpectu delectantur, iis incumbunt, eorumque uſum aliis invident. Similes profecto dixeris hos homines Gryphis, ſævo ac Schytico ferarum generi, qui MELA *teſte* (de ſitu orbis Lib. II. cap. I p. 144) *Theſauros mire amant mireque cuſtodiunt, ac attingentibus ſunt infeſti. Perſtringit hos more ſolito ſalſè* LUCIANUS (in Dial.

 Adv.

adv. Indoctum in fin. p. 781.) *iiſque iraſcitur, quod ipſi libris ſuis non utentes, eos tamen nulli unquam commodare velint, ſcribitque: eos hac in parte* facere hoc tantum, quod canis in præſepi, qui cum ipſe hordeo non veſcatur, equum tamen volentem paſci haud ſinit.

§. 8. *Sunt Bibliothecæ domicilia Muſarum, ſedes Apollinis, ac habitacula illuſtrium animarum, in quibus dulcem animi capiunt quietem: Sunt dapes animarum, quibus ſapientiæ inhiantes animæ veſcuntur, delectantur, ſatiantur, paſcuntur. Sed invident avari hi Bibliothecarum vani poſſeſſores aliis eruditionis cupidis delicatiora hæc fercula, occludunt iis magnifica & ſplendida ſua domicilia, eaque potius relinquunt gliribus, muribus, in quibus tamquam in magnificis Theatris, ludant conſuetum ludum. Tradunt eos potius tineis blattiſque ut illis tamquam acceptiſſimis ac ſapidiſſimis eduliis ſeſe delectent, uti* Codrum *olim feciſſe auctor eſt* Juvenalis, *eum ſequentibus idcirco exagitans:* (Sat. III.)

Jam-

Jamque Vetus græcos ſervabat ciſta libellos,
Et divina Opici rodebant carmina mures.

Elegantiſſima ſunt piiſſimi Iſidori Peluſiotæ *huc quoque ſpectantia verba, quæ* (*ex* Lib. I. Epiſt. 127.) *hic annectam*: Plurimos, *inquit*, ut audio libros emiſti, atque opinione locuples es, eorum lectionem ignorans, atque idem faciens, quod ii qui frumentum comprimunt, ac tineas alunt. Nam libri quoque tinearum Patres ac Nutritii ſunt, cum vinciuntur. Quare aut opibus tuis utere, aut ingentem eruditionem ne læde, nimirum hic quoque comicos ſales colligens, dum librorum corruptor, aut librorum ſepulchrum, aut tinearum altor appellaris.

§. 9. Sed, quæres, quid faciunt hi Speudo-Philomuſi cum tam inſigni multoque librorum apparatu, ſi ipſi eo neque utuntur, neque uti ſciunt, neque aliis ejuſdem uſum permittunt? Gloriæ ſuæ

hac librorum multitudine, ut jam dixi, litant, ſeque vel ſapientes eſſe exiſtimant, ſi ſapientum ſcripta poſſident, vel ſaltem apud alios ita videri & eruditorum numero adſcribi volunt. Unde ſi in hoc vel iſto eruditionis genere ſeſe excellere aliis perſuadere cupiunt, omnes eò ſpectantes libros ſibi acquirunt; Theologos coemunt ut Theologi videantur; Juriſconſultos, ut inde JCtorum clarorum nomen acquirant; Medicos, ut illuſtrium Medicorum famam æquent; Philoſophos, ut tanquam Philoſophi admirentur; Philologos, ut pro magnis habeantur Criticis; Literatores, ut Polyhiſtoris gloriam apud alios ſibi adſciſcant; Antiquarios, ut univerſæ antiquitatis abdita latibula ſeſe exhauſiſſe alii putent; Auctores Græcos, Hebræos, Syros, Arabes, ut tamquam Literaturæ Orientalis peritiſſimi venerentur, cum tamen ſæpius harum linguarum prima elementa ignorent. Cujuſmodi delirans vanaque oſtentatione diſtentus homo nuper in publica quadam fuit Auctione, qui omnes ferè libros Orientales, præcipue Arabicos ſolus mercabatur,

batur, ut circumſtantes doctos emptores in ſui tamquam excellentis Arabis, pro quo ſe venditabat, admirationem raperet, ſed interrogatus præter opinionem a quodam adſtante de empti cujuſdam libri Arabici titulo ac contentis, obmuteſcebat, ac ſuffuſo in facie rubore prodebat maximam ſuam ignorantiam, ſeque omnium riſui ac ludibrio exponebat.

§. 10. Faciunt profecto hi docti Impoſtores idem quod circumforanei, qui optima ac prætioſiſſima ſæpe pharmaca in Theatris ſuis imperito ac credulo vulgo oſtendunt, ut ſummi eſſe Medici credantur, cum tamen rei Medicæ ſint ignariſſimi; unde licet ab imperitis ut magni Æſculapii maximis in coelum evehantur laudibus, a peritioribus tamen, ut ſtupidiſſimi Aceſiæ exſibilantur, ridentur ac publice traducuntur. Digni ſane eadem ignominia ſunt ſemidocti hi ſycophantæ, licet imperitum vulgus laudibus quam maximis eos proſequatur, & ut Literarii orbis magnos Atlantes eos colat; tamen rectius à doctioribus ac emunctio-

ctioris naſi viris excipiuntur ſibilo, publiceque deridentur. Facit hoc more ſuo doctiſſimus Auſonius, *ita* (Epigram. XLIII.) *feſtivè canens*:

Emptis quod libris tibi Bibliotheca
referta eſt,
Doctum & Grammaticum te Philomuſe putas,
Hoc genere & chordas & plectra & barbyta conde,
Mercator hodie, cras citharædus eris.

Accinit huic ſemidoctorum flagellum jucundus ille Juvenalis (Lib. I. Sat. II.) *ſcribens*:

Indocti primum: quamquam plena omnia gypſo
Chryſippi invenias, nam perfectiſſimus horum eſt,
Si quis Ariſtotelem ſimilem, vel Pittacon emit,
Vel jubet Archetypos pluteum ſervare Cleanthas.

Graviſſimus morum cenſor SENECA *carpit quoque hanc inanem Bibliothecarum pompam vanamque inde quæſitam gloriolam, in elegantiſſimo de* Tranquillitate Animi (cap. IX.) *commentario, inquiens* : Non eſſe elegantiam illud aut curam, ſed ſtudioſam luxuriam. Imo *ſcribit porro*, ne ſtudioſa quidem, quoniam non in ſtudium ſed ſpectaculum comparuerant : Sicut pleriſque ignaris etiam ſervilium literarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt..

§. II. *Verum licet hi Amuſi ex ſua librorum copia ſeſe doctos putent, atque ab aliis ex magnis ſuis Bibliothecis ipſi Bibliothecæ ſpirantes & ambulantia Muſea judicentur, ſapientiores tamen non eadem exiſtimatione eos proſequuntur, nec eruditionem librorum abundantiâ metiuntur, ſcientes veram eruditionem non in librorum magno numero conſiſtere, darique ſæpius doctos abſque libris, vel ſaltem pauciſſimis libris inſtructos, quibus ad veræ ac ſolidioris eruditionis apogæum ſunt ſublati. Non indiget profectò vera eruditio*

tio tot voluminum acervis, ſed paucioribus doctis inſtrumentis contenta eſſe ſolet. Novimus enim varios Doctiſſimos viros pauciſſimorum librorum ope ac uſu ad maximam eruditionem perveniſſe, ut Philippum Melanchtonem, *communem literaturæ elegantioris ac humanioris in Germaniæ reſtauratorem, cujus Bibliothecam univerſam, præter Sacra Biblia,* Ariſtoteles, Plinius, Plutarchus & Ptolomæus, LOMEIERO (cap. 1. de Bibliothecis pag. 5.) *teſte, conſtituere;* & Renatum Carteſium, *qui præter* Euclidem *pauciſſimos libros habuit. Imitanda ſunt illuſtria hæc exempla, cumulanda non ſunt præter neceſſitatem Doctorum ſcripta, ne ex nimiâ copiâ animus potius diſtrahatur, quam erudiatur, ne coactâ librorum turbâ ſpiritus ſupprimatur potius quam ſublevetur.*

§. 12. *Dandæ ſunt aures ſalutari* SENECÆ. l. c. *monito, ſuadenti,* comparandum eſſe librorum quantum ſatis ſit, nihil in apparatum. *Quemadmodum quiſque Doctorum certum ſtudii ac laboris ſui ſcopum ſibi præfixit, ita eos*

quo-

quoque ſolummodo libros ſibi acquirat, qui ad deſtinatum ſcopum conſequendum faciunt, & hoc genus ſtudii, in quo præcipue deſudat ac excellere cupit, explicant. Et cum hodierno præcipue tempore nullum fere ſtudiorum ac eruditionis genus extet, quod non infinitis libris, a doctis indoctiſque ſimul ſit illuſtratum, non omnes in eo genere congerendi ſunt libri, ſed præſtantiſſimi ac exquiſitiſſimi, adeòque librorum accuratus ſelectus, præcipue in tanta ſcriptorum copia, quibus mundus jam fere opprimitur, obſervandus eſt, curandumque, ne quam multos, ſed quam bonos uſuique noſtro inſervientes habeamus libros. *Interim librorum numerum, non tam arctis hic circumſcribere volo limitibus, quaſi eos perrumpere ac tranſilire nefas eſſet: Dantur tam vaſta magnaque ingenia, quorum flagrans plura ſciendi fames non niſi multis varii generis libris ſatiari poteſt, quibus itaque major eorundem copia eſt permittenda. Dandum quoque hâc in re aliquid cenſeo eruditorum oblectamento, ità ut*

 non-

nonſolum ſervent libros neceſſarios, *ſed & quoſdam* in delectationem, *quam librorum* varietas *parit, ut vario librorum genere langueſcentes ac alta meditatione defeſſi eorundem animi iterum permulceantur refocillentur ac ſuſcitentur. Doctorum muſea ac Bibliothecas vireta eſſe oportet, in quibus floreant nonſolum arbores, frutices, plantæ ac olera in communem uſum neceſſaria, ſed & vario amœnoque colore ſplendeſcentes flores ac dulce fragrantes herbæ, ad majorem animi remiſſionem.*

§. 13. *Præcipuè vario ac majori librorum apparatu indigent illi, qui librorum ſcriptioni ſeſe applicant, egregiiſque ingenii ſui monumentis mundum erudire & nomen ſuum immortalitati commendare geſtiunt. Equidem Philoſophis, in Philoſophia præſertim naturali ſcripturis ſufficere poſſet unicus univerſæ naturæ liber, qui uberrimam & inexhauſtam ſcribendi materiam omnibus pandit, ex aliis ſcriptis non demum hauriendam. Interim & aliorum Philoſophorum cogitata & opiniones illis cognitæ eſ-*

eſſe debent, antequam cogitationes ſuas in publicam lucem emittunt, ne acta agant, operamque ac impenſam omnem perdant. Quæ ratio & in alia ſcribendi materiâ probe notanda eſt, ſcrutandique prius alii auctores, ne eadem ab illis dudum ſcripta denuò proferamus, aut ſi eandem materiam iiſcum tractemus, operam demus, ut ſaltem magis polita, emendata, aucta & Illuſtrata in publicum prodeat. Ex quo apparet, & claros ſcriptores majori librorum ſuppellectili non eſſe denudandos. Non ſanè Athenæus *eruditiſſimos ſuos* Δειπνοσοφιςῶν *libros nobis reliquiſſet, niſi Laurentii ſui magnâ Bibliothecâ fuiſſet uſus: Non* Plinius *exaraſſet vaſtam ſuam* Hiſtoriam Naturalem, *Bibliotheca Romana deſtitutus: Non* A. Kircherus, Cæſar Baronius *tot procudiſſent ingentia volumina abſque auxilio Bibliothecæ Vaticanæ: Nec Baronio oppoſuiſſet eruditiſſimas ſuas* Exercitationes *illuſtris* Caſaubonus, *ſi non antea habitaſſet in Bibliotheca Regia Pariſina. Taceo* Franciſcum Sylburgium, Salmaſium ac Grü-

Grüterum, *qui erudita ſua opera maximam partem debent Bibliothecæ Heidelbergenſi. Prætereo doctiſſimum* C. Barthium, *qui* Adverſaria ſua *compoſuit Bibliotheca Lipſienſi adjutus. Relinquo* Gabrielem Naudæum, *qui Bibliothecâ Cardinalis Mazarini*, Nicolaum Rigaltium, *qui Pariſiana*, Meurſium *qui Leidenſi*, Morhofium, *qui præcipue Gudii ac Gottorpienſi*, Lambecium *qui Vindobonenſi Bibliothecis uſi ſunt, harumque ope tot illuſtria cedroque digna monumenta perpetuæ poſteritate reliquere.*

§. 14. *Magnatibus & Principibus quoque permittendæ magnæ ac illuſtres Bibliothecæ, nam licet magnitudine regiminis & negotiorum publicorum prohibiti, ipſi Bibliothecis ſuis frui haud poſſint, tamen exſtruunt hæc magnifica Minervæ ſacrariá in uſum aliorum, omnibuſque hujus Deæ cultoribus acceſſionem liberam permittunt, & ita verum Bibliothecarum ſcopum, nempe Uſum, ſi non privatum, tamen publicum, intendunt, atque adeo exſtructione ſplendidiſſimarum Bibliothecarum laudem*

potius

potius quam reprehenſionem merentur; quâ multó magis digni omnes illi Principes, Magnates, Reſpublicæ, Civitates, quæ in erigendis publicis Bibliothecis ſunt negligentiores.

§. 15. Minime verò cenſendum eſt, quaſi Magnatum Bibliothecæ tantum & aliis patere deberent, idem ſcopus eſſe debet & Privatarum Bibliothecarum a perſonis privatis in uſum proprium inſtructarum. Quamvis enim Docti Bibliothecas ſuas in privatum commodum præprimis extruunt, inſervire tamen tenentur quoque commodo aliorum Doctorum, ita ut illis, ſi opus ſit, quoque aperiant docta ſua ſcrinia, recludant literarias gazas, communicentque libros, talibus præcipue, quos bonæ fidei librorumque nitori ſtudentes eſſe habent compertum. Dantur multi ſordidi homines, qui communicatos libros non munde tractant, ſed ſqualore & neſcio quâ fœdâ illuvie profanant ac boum Cypriorum more maculant: Hi jure à Doctorum Bibliothecis arcendi ſunt, his merito denegandi expetiti libri, uti &

illis,

illis, qui Græcæ Fidei ſunt, cultroque Flaciano *frequentius utuntur, lacerando libros, diripiendo Bibliothecas. Quemadmodum hiſce jure meritoque aditus ad Doctorum Bibliothecas intercluditur, tamen viri honeſti ac candidi non ſunt excludendi, ſed admittendi potius, librique expetiti iis non denegandi. Nam ſicut, ſecundum Chriſtianæ charitatis regulas, omnia noſtra, imprimis ſi citra damnum noſtrum fieri poſſit, communicanda ſunt indigenti proximo; Ita quoque libris noſtris ad certum tempus frui proximo permittamus, præcipue ſi inde nullum in nos damnum, in proximum vero magnum emolumentum redundat.*

§. 16. *Unde averſandi ſunt illi eruditi, quos adeo pallida invidia vexat, ut neque Bibliothecarum neque unius ſæpe libri uſurpatïonem anxiè petentibus indulgeant, veriti, ne vel alii iiſdem alis ad eruditionis gloriam ſe attollant, vel videant ex quibus fontibus eruditionem ſapientiamque ſuam hauſerint. Sed verè Docti, qui cum eruditione ſimul pietatem conjunctam habent, ab hâc canina ac dete-*

ſtanda

ſtanda invidia ſunt alieniſſimi, gaudentes potius ac gloriæ ſibi ducentes, ſi libris ſuis aliis inſervire eorumque & publicum uſum hoc modo promovere poſſint. Sic Lucullus ac Varro *illuſtrium ſuarum Bibliothecarum frequentationem, nemini invidebant, omnes eo confluentes viros Doctos maximo excipientes favore. Quod & fecere Illuſtres ac celeberrimi Viri,* Thuanus, Beſſarion, Hurtardus, Fuggerus, Peireſcius, *qui promptiſſima voluntate, omnes Bibliothecarum ſuarum fores pulſantes in eaſdem introduxere, libroſque neceſſarios illis ſuppeditavere. Nec tacendus eſt hic ſago togaque clariſſimus ac* Illuſtriſſimus *Dominus Baro* de Waſſenaer & Obdam, *omnium Bataviæ noſtræ Nobilium Primas ac Copiarum Fœderati Belgii Dux, cujus favorem in communicandis ex magna ſplendidiſſimaque ipſius Bibliotheca libris, non ſolum ego ipſe expertus ſum, ſed & alii eundem comperiunt.*

§. 17. *Facillimus quoque in oſtendenda ſua Bibliotheca fuit quondam eruditiſſimus laudemque meam ſuperans* Thomas Bartholinus, *illuſtre illud totius Daniæ Sidus. Antequam enim privata ipſius*

ex multis Librorum exquiſitiſſimorum millibus conſtans Bibliotheca fatali quodam caſu incendio conſumeretur, eandem omnium uſui ſacratam quaſi habebat, omnium libros ex ea petentium deſideriis annuens. Nec minus promptam ſuam voluntatem oſtendit clariſſimus hic vir, poſtquam à Rege, in majus amiſſi theſauri ſui ſolatium, Regiæ Hafnienſium Bibliothecæ præfectus eſt, quando nonſolum continua Regiæ Bibliothecæ patefactione diſcentium ſtudiis ſerviebat, ſed et omnes Muſarum cultores humaniſſimè ad Pallados hoc ſanctuarium frequentandum invitabat; imo, ut majorem ex Bibliothecarum Viſitatione ac Inſpectione fructum caperent, eruditiſſimum Utiliſſimumque de Libris Legendis *Tractatum An.* 1672. *ſcripſit, An.* 1676. *demum Haniæ editum. Hunc propter reconditam in eo eruditionem, multumque quem præſtat uſum hâc nova editione à ſitu Vindicare lucique publicæ reddere volui, præſertim cum priora exempla jam pridem ſint diſtracta, & in Officinis librariis vix compareant. Tu* Lector *Benevole! nova hâc editione fruere meisque ſtudiis fave. Dabam ê Muſæo meo Hagæ-Comitum ipſis Nonis Decembribus A. O. R* CIↃ IↃ CC X. *τάχιστα.*

PRÆFATIO
TH. BARTHOLINI.

IN poſſeſſionem univerſæ naturæ nos ea conditione miſit Deus, ut labore mereamur uſumfructum. Cum vero tanta Naturæ ſit amplitudo, ut uno ſpiritu nequeat exhauriri, partimur operas illi dicatas. Per temporum ſpiramenta aſſequimur quod ſimul non licet. In quatuor anni particulas cum Phœbo ſe natura diviſit, & ut ſingularum fructu gauderent mortales, in menſes revocata ſui copiam, ſed diverſa facie, benigna fecit.

Hac duce partimur & nos ſtudiorum vices Naturæ ſacras, ne omnibus ſimul intentus minor ſit ad ſingula ſenſus, Æſtas Floram ſibi vendicat. Autumnus adverſæ valetudinis præſidia ex Pharmacopoliis viſitatis quærit. Hyems in demortuis cadaveribus ſeneſcit. Ver denique omnium memoriam refricat, vel futuræ

 meſ-

meſſis præludia tentat. Nullum temporis momentum ſine linea nobis effluere patimur. Magna enim & ardua res eſt, tum Naturæ ſcientia, tum Medicina. Nec alterutra adhuc ulli ſe totam ſimul indulſit, nunquam plus laudis merita, quam cum ex intervallo dixit, ſicut olim Portius Latro. Satis felix eſt, qui in peniciores illius partes ſucceſſivè receptus gloriari poteſt ad ſcientiam ſe longo ævi ſpatio penetraſſe. Quid hactenus inter Medicos Facultatis noſtræ bono publico actum ſit, omnium memoriæ obverſatur. Ne ſemper Curios aut Luſcinios loquamur, ad aliud ſtudiorum genus Medicorum filios ante ferias invitamus, ut vel memoria Libris inſpectis confirmetur, vel ad futuros ſequentis anni labores animus inſtruatur. Neque enim ſine Librorum lectione perfectum ſcientiæ Naturalis & Medicæ culmen aſſequimur, qua ea quæ vel
à

à Magiſtris audivimus, vel quacunque exercitatione accepimus, majorum authoritate & conſilio robur acquirunt & lumen fœnerantur. Optimi Conſultores mortui viventium traditiones animant & perficiunt. Hic tandem ſe exerit judicium noſtrum & decreta ſancit, ut nova cum veteribus inter ſe compoſita, de palma ambigua certent, laudenturque hæc vel excuſentur. Non omnia ignorarunt Antiqui, nec ſciverunt. Maximam remediorum, ſignorum, totiuſque Artis Medicæ cognitionem grati illis referimus acceptam. Ex obſervationibus autem recentiorum, quibus ſe ſupra veterum captum efferunt non pauci, paucæ ita ſua novitate excultæ incedunt, quin plumas ad ſui ornamentum ex veteribus Medendi Auctoribus ſint mutuatæ. Hinc tantam ſapientiam in Hippocrate noſtro deprædicant Doctorum pennæ, ut nemo poſt eum ſciverit, quod

ipſe ignoraverit. Non arrogantius ea dicuntur quam verius. Sine ſtudio partium loquamur. Cuncta medicinæ ſemina in eo animadvertimus, quæ in facienda medecina melius elucent, ex conciſa ſententiarum ſubtilitate, & arguta obſervationum brevitate, ſi juxta mentem Naturæ, quæ ſe cottidie explicat, divini ſenis oracula interpretemur. Errarem verò non parvum errorem, ſi ab omni errore illos abſolverem, & nihil addi ulterius poſſe ſerio vultu profiterer. Multa quidem egerunt, qui ante nos vixere, ſed non omnia peregerunt. Poſteris ex ampla Naturæ meſſe relictum eſt ſpicilegium. Nec ingeniis Juniorum viam Majores præcluſerunt ad patentem rerum utiliſſimarum campum, per quem decurrant. Viam ſtraverunt, quam commodius calcamus. Si breviori ſemita compendium cura noſtra detexerit, non damnamus, ſed laudamus Veterum veſti-

veſtigia, parem à poſteritate gratiam ſperantes. Ex utriuſque autem veteris pariter & novæ doctrinæ mixtura pulcherrimum animi eruditi naſcitur temperamentum, quemadmodum in choro gravi ſeniorum & acuta juvenum voce perſtrepente, inter ſingulorum voces, ſed occultas, admirabilis oritur concentus incredibili ſuavitate aures mortalium exſatians: Sic Naturæ & Libris imputandum quod docti ſimus, quod cum fiducia morbis imperemus, quod præceptis animum imbuamus & firmemus experientia. Empiricis ſolis ea, ſi DIs placet, prærogativa conceditur, ut ſibi ex ſe ſapiant, & ſine cortice natent. Spernunt Libros nec intellectos nec lectos, & theſaurum publicæ famæ vel negligunt vel contemnunt. Scilicet mel amarum exiſtimant, quod deguſtare linguæ mentiſque vitio nequeunt. At quicunque veri Medici decus tueri vult, ex Hippocrate

crate Prognoſtica diſcat, Methodum ex Galeno, Remedia ex Avicenna, Herbas earumque vires ex Theophraſto & Dioſcoride, Chemiam ex Gebero, Pharmaceuticam ex Meſue, Serapione & Nicolao, Anatomen ex Theophilo Protoſpatario, Chirurgiam ex Celſo, Oribaſio, Albucaſe, ut recentiores omittam, qui omnem medicinæ materiam exhauſerunt & monumentis literarum ad poſteritatem tranſmiſerunt, digni ea propter, cum credentes ſibi minimè fallant, qui cum veneratione legantur. Expediet quoque Medicis, aliorum ſcripta evolviſſe, quanquam in alieno argumento verſentur. Raro quippe oculis occurrit Auctor, quin aliud agendo & ſcribendo, Medicam eruditionem augeat, unde ex non Medicis nata quoque Medicina proſtat. Et hic & ibi invenient Artis filii, quæ uſum exerceant præteritorum, & præceptis ſalutaribus, tot ſeculo-

ip-

rum authoritate firmatis, ſequentia ſtudia informent. Nolim tamen ad Librorum ſervitutem præclara Medicorum ingenia mancipare. Legendi enim Libri à liberis cum delectu & judicio circumſpecto, ne Naturæ ipſi præferamus Naturæ interpretes. Labuntur hi aliquando & oneri cedunt, indulgentes ingeniorum ſuorum & ſeculorum voluptati. Fatigantur ſæpe, ut dormitaſſe videas Demoſthenem & Homerum. Quis miretur? Iliacos intra muros peccatur & extra. Summi fuerunt, homines tamen. Nemo noſtrum ab errorum confinio ſe removit, aut omnia ante oculos poſita cernit. Doctrinæ interim materiam à Natura mutuamur, leges methodi à Naturæ Myſtis. His vitia, illi imputamus emolumenta. Sapientis judicii eſt utrumque diſcernere, ne damnentur non intellecta, nec pro perfectis omnia æſtimentur quæ ex

Auctorum calamis profluxerunt. In his ſe tempore Vernali opportunè exerceant Aſclepiadei, quo Hiemalia ſtudia æſtivis imminentibus locum fecerunt, meque Ducem vel ſequantur, vel ad meliora Sacra ducant. Ad mortuos viam monſtrabo non in tumulis cum fœtore colluctantes, ſed ſcriptis nitidiſſimis in Palladio Bibliothecæ Academicæ ſanctiſſimo doctè loquentes, non clades tantum Romanorum, ſicut olim Publii caput mortuum, nec Cyri interitum, ut Orphei caput, nec Corcydam homicidam, quemadmodum caput olim ſacerdotis Jovialis; ſed, quod clarius, ſemitam vitæ per virtutem, fortem animum, mortiſque terrore carentem, & quævis denique præclara ſaluti mortalium propoſita. Hæc per exemplum docta, præceptis Auctorum animantur, & poſthac docenda, methodo Majorum explicantur, in ſcriptis

ex-

expreſſa. Ita in ſecula regredimur & veterum veſtibus laciniam novam atteximus. Ita ingenia majorum nobis nata nobis inſerviunt, & Natura ſe curæ noſtræ ſubjicit. Bibliotheca publica omnium votis ſe accommodans veterum pariter & recentiorum loculos nobis excutiendos aperit, ſeculorumque omnium induſtriam noſtram facit. In fronte Bibliothecæ Sacræ Ægypti Oſymanduas præſcripſit: ψυχῆς ἰατρεῖον, Animi medica officina. Nos noſtræ inſcribimus: Animi corporiſque Medica officina. Hæc omnibus panditur quibus honeſtarum Artium cupidine pectus incaleſcit. Sed ut inoffenſo pede in hac progrediantur, facem accendam, cui, ſuperum beneficio, iſta cura demandata eſt. Antequam enim ad demonſtrandos in publica Bibliotheca Libros per partes deſcendam, ut plena ad omnes ſuſceptæ operæ utilitas diffun-

fundatur, tria mihi neceſſario expedienda exiſtimavi. Primò Catalogum Univerſalem ordine alphabetico adornabo, ut ſine mora Liber quicunque legentibus pateat. Deinde Chronotaxin Auctorum ſecundum ſeculorum ſeriem conficiam, ut tempora Librorum diſcernantur. Denique modum cum fructu legendi Libros tradam, ſed breviſſimè velut ſacrum patinæ piper irrorando. Catalogus ubi ad umbilicum perductus fuerit, publicè proſtabit. Chronotaxin ſingulari Tabella adumbratam, publice ſuſpendam. Modus legendi Libros aliquot Diſſertationibus comprehenſus, Librorum vel externa ſpectat vel interna. Illa Auctores expendunt in univerſum, eorumque vitæ genus, genium, ætatem & ſcripta, ſcriptorumque operam, linguam, numerum, valorem. Materiam quoque ad examen vocant in qua Libri olim ſcripti,
la-

lapides, lignum, æs, pergamenam, chartam, ſericum, inſtrumenta quibus Libri conſcribebantur, ſtilum, calamos, modum ſcribendi per varios characteres manu veterum & Typographia recentiorum, formam denique Librorum, editionum varietate, locorum, Typographorum, & involucris diſtinctam. Hæc internam Librorum materiam proponunt, Sacram vel profanam, ſeriam vel ludicram, Formam methodo comprehenſam & verbis propriis. Quo ſpectat ratio accuratior in legendis Libris multis iiſque ſelectis preſſius ſervanda à junioribus, ſenibus, fœminis, Principibus & Opificibus quibuscunque, aſſiduitate, ſed cum lucrubrationum temperantia, cum variis memoriæ ſubſidiis, Imaginum, Tabularum, Locorum Communium & Indicum. Denique ad judicium accedendum, tanquam animam

Lectionis, quod de ſcriptoribus, eorumque tractandi modo & ſenſu aſſequendo ferre convenit, admiculis Lexicorum & Commentatorum, & remotis ſignorum notarumque obſtaculis quæ paſſim in MSS. & Impreſſis Libris tyrones remorantur. Hæc erunt Diſſertationum argumenta, in Palatio Bibliothecæ Academicæ pertractanda, quibus præmittam primos Natales & incrementa Bibliothecæ noſtræ, grata in beatos Teſtatores Divum Chriſtianum IV, Petrum Albertium, F. Wilhelmi Andream Lemvicum, Caſp. Brochmanum, Petrum Gelſtrupium, Henricum & Thomam Fuirenium, Joh. Mulenium alioſque Muſarum Fautores memoria. Craſtina diei hora IX. primam Diſſertationem publicè ibidem recitabo, ſi Deus voluerit, & eandem
telam

B R   T H O L I N I.

telam ſequentibus diebus Mercurii pertexam, ſi faverit cœptis

Quiſquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam.

Hafniæ XXIX April 1672.

Breviaria Diſſertationum

LIBRARIARUM.

DISSERTATIO I.

AD libros legendos exhortatio. Illorum utilitas, neceſſitas, præſtantia. A flammis furibuſque quomodo præſerventur. E terra olim protracti. Academicæ Bibliothecæ Natales & incrementa. Teſtatorum encomia. Propoſitum explicandi Libros & hujus officii occaſio. Medicos Romæ Bibliothecis fuiſſe præfectos.

DISSERTATIO. II.

De ipſis Librorum Auctoribus. Suppoſititii nonnulli. Mali fugiendi. Anonymi cur prodeant. Ficti Fucatique metu vel modeſtia. Plagiarii.

giarii. Ex his excuſati Severinus, Kragius noſtri, aliique. Autorum Patria & Ætas. Librorum cum ſeculis immutata ſcriptio. Per Theologorum, JCtorum, Medicorum ſecula decurritur. Genius ſingularum nationum & ſcriptorum ſingulorum Ætatum diſcrimen. Status varius. Autorum vitæ à ſe vel aliis conſcriptæ. Legendæ Patrum. Effigies ſcriptorum in Libris vel Bibliothecis.

DISSERTATIO III.

De ſcriptorum Lingua, Ebræa, Græca, Latina. Romana generalis, Arabica quoque, Theologis imprimis & Medicis. Lingua univerſalis impoſſibilis. Vernaculi Libri quibus utiles.

les. Mileſii Scriptores. Verſionibus quid tribuendum. Autorum Opera pondere non numero æſtimanda, ex uno ſæpe commendantur. Catalogus Operum cujuſque.

DISSERTATIO IV.

De materia Librorum vett. Lapidibus & Saxis, foliis arborum & herbarum, ligno & corticibus, cera in pugillaribus, plumbo & ære. Lin*tei privatorum. Membranæ uſus ab Eumene inventus, charta ſuccedente, etiam ante Alexandri tempora. Hujus hodie varietas.* Lib*rariorum vett. in deſcribendis libris opera. Inſtrumenta Scriptoria. Styli figura. Quid nigra litera Martiali. Calamus arundineus Celſi.* Li*terarum Romanarum*

narum diverſitas, à Longobardis *corruptarum. De manuſcriptorum antiquitate & valore judicium. Codices Danici, Iſlandici, Gothici. Typographiæ natales & incrementa. Meliorum Editionum Notæ, quæ primæ, vel notis auctiores, viventibus Autoribus. Typographi correctiores. Biblia in membranis. Forma librorum magna ad pompam, parva ad commoditatem. Volumina antiquorum qualia. Tabellæ complicatæ. Libri pumice lævigati, ornati coronide. Luxus in involucris recentiorum.*

DISSERTATIO V.

De interna Materia Librorum, quæ vel ſola eſt unius generis vel mixta. Titulos ſæpe fallere. Invidia

dia multorum. Hiſtoricorum differentia. Singulare Antiquariorum ſtudium. Philologorum, imprimis Salmaſii, libertas in transgreſſionibus. Damnanda ἀλλώτρια *multa. Variæ eruditionis Scriptores varii. De Libris amœnioribus tolerandis, ſed obſcœnis inutilibus, fugiendis. De Deo ubique ſcribendum. Forma Librorum interna explicatur. Methodus Philoſophis adſtricta, Philologis libera pro cujuſvis genio & multiſcientia. Verbis propriis æqualibuſque quomodo res ornandæ. Mediocritas laudatur. Barbaries in eruditis toleranda, ſed ornatus decens præferendus.*

DISSERTATIO VI.

De modo legendi, Senioribus junio-

ribuſque ſervando. Fæminæ an & quid legere debeant. Principum & Mechanicarum Artium libri evolvendi. Quinam omnes libros legunt. Pagani cautè lectitandi. Nullum tempus lectioni eximitur, ſed cavenda nox, cœna & nimia aſſiduitas. Interrupta ſtudia probantur. Intemperantiæ damna. Magna Volumina quomodo explicanda. An multos Libros habere conveniat. Memoriæ ſubſidia varia, imprimis Repetitio. De Arte Mnemonica, quid ſtatuendum. Tabularum uſus. Excerpendi modus. Loci communes ex compendiis. Indicum utilitas, rerum, verborum, Capitum, Autorum. Regiſtrum quid. Vett. libri ſine diſtinctione Capitum & Verſuum. Κεφάλαια *N. T. olim diverſa.* Κεφαλὶς *explicatur. Autorum Chronotaxis. De*

Lexicis Facultatum ſingularum. Indicum generalium varius ordo.

DISSERTATIO VII.

Judicium de ſcriptoribus ferendum à peritis. Electio ex optimis & neceſſariis, pro cujuſvis uſu vel genio. Ordo lectionis per Compendia ſingularum Facultatum. Methodi breviſſimæ Autores. Virtus Interpretum. Obſtacula legentium ex Notis. Punctorum origo. An Codici Ebræo coæva. Accentuum myſteria. Veterum ſcribarum notæ, ex primis literis, earumque ambiguitas. A Juſtiniano abrogatæ. Quid Sigla. Notarum celeritas periit. Chinenſium hieroglyphica. Notæ Caballiſticæ. Abbreviaturæ JCtorum, in allegationibus præſertim. Signa ponderum

derum in Celſo, & Chemicorum damnata. Numerorum notæ ex literis. Ziffræ à Mauris introductæ, Baſilio quoque uſitatæ. In Algebra & Muſica notæ. Magicæ periculoſæ. Synalephæ vett. Scribarumque inſcitia vel celeritas errorum cauſæ. Pandectæ Florentini an authentici. Permutatio literarum in Manuſcriptis ex Scioppio deducitur.

TH. BARTHOLINI
DISSERTATIO I.
DE
LEGENDIS LIBRIS.

Ad libros legendos exhortatio. Illorum utilitas, neceſſitas, præſtantia. A flammis furibuſque quomodo præſerventur. Ex terra olim protracti. Academiæ Bibliothecæ Natales & incrementa. Teſtatorum encomia. Propoſitum explicandi Libros, & hujus officii occaſio. Medicos Romæ Bibliothecis præfectos.

TUrpe ſemper noſtriſque moribus indecorum exiſtimavi, quibus animus ad honeſta & ingenua meliorum literarum Scientiarumque Studia altius aſſurgit, ut ignorentur a nobis Libri, vel non ſatis uſus Librorum perſpiciatur, quos ad acquirendas rerum

variarum ſcientias veterum recentiorumque induſtria nobis reliquit, & tanto apparatu in Bibliotheca publica, liberalitate magnorum deque Republica noſtra meritiſſimorum Virorum, ſuo ordine per pulpita & capſas ornatiſſimas diſpoſitos, omnium in ſe oculos convertere videmus. Periret certè his illiſque labor, publico bono tantis lucubrationibus & impenſis exantlatus, ſi ad pompam venuſta hæc ſolam ſpectarent, oculos magis curioſos ſatiatura, quam animos eruditioni inhiantes. Habent quidem etiam Agricolæ hybernis menſibus, ab opere ruſtico ſilentibus, inſtrumenta quaſi in cuſtodiam incluſa, vomerem, buram, raſtrum, cylindrum; ſed ubi ad opus ventum fuerit vere primo jubente, niſi ſingulorum uſum & fabricam exactius ſciverint, perverſus arandi conatus turbabit ſementem, ut dentale pro ſtiva ſubſtituatur. In armario ſuo miles ſuſpenſa arma, loricam, galeam, ſcutum, gladios, ſicas, haſtas, ſagittas, arcus, bombardas, pyrobolos, aliaque in pernitiem humani generis excogitata organa ſervat, ſed hoſtibus innoxia, niſi modum utendi perſpectum habuerit, noveritque pulverem ſclopo infundere, ea menſura quam capit canalis, glandem proportionatam ingerere, rotam intendere & remittere, arcum ſinuare,

vibrare haſtam, gladium diſtringere, caſtriſque, quod ſuaſit *Epaminondas*, uti, non palæſtra. Quicunque igitur ſemina diſciplinarum pectori ſuo inſerere conſtituit, quicunque ſe contra barbariem & ignorantiam, peſtes vitæ hoſteſque infenſos armare generoſo propoſito in animum induxit, non nudos libriſve ornatos parietes intueri debet, tanquam Echionis tabulas, aut ſignum aliquod Polycleti, ſed ad penetralia intima admiſſus, reſeratiſque clauſtris preſſius libros explicare cujuſvis commodo inſervituros. Non juvabit aſpectus pulchræ Veneris, niſi uſus concedatur concupitæ.

Quid juvat ad ſurdas ſi cantet Phæmius artes?
Quid miſerum Thamyra picta tabella juvat.

Quid ampliſſima regna, ſine uſu? quid fortuna, niſi ea fruaris? quid opes longo labore terra marique quæſitæ, ſi ab illis poſſideantur, qui neſciunt, quid valeat nummus, quem præbeat uſum, congeſtis undiquè ſaccis indormientes. Ne de nobis fabula hæc narretur in opulentiſſimo hoc optimorum Librorum ærario, curæ nobis erit, ut tantis bonis ſine precio conceſſis ad ſatietatem bonæ mentis fruamur, ne Eunuchos imitemur, qui Dominas ſuas cuſtodiunt, nulla tamen Veneris

gaudia experiuntur. Pulcherrima Dearum Pallas, cujus hoc domicilium, cujus hic opes congeſtæ viſuntur, nobis blando nutu procatur, uſumque ſui offert, omnibus ſuo merito raras dotata per artes placitura. Non feret illa repulſam. In amplexus ejus ruimus, & ne oblati muneris parte meliore privemur, totâ perfruamur, quæ ſe totam nobis gratioſe pandit, ut totam nudamque inſpiciamus, nunquam pœnitenda animi ad tantam Deæ familiaris conſuetudinem admiſſi voluptate. Quanquam caſtiſſimæ Deæ tunicam poſuiſſe ſit pudori, zonam tamen ſibi ſolvi benigno aſſenſu patietur. Neque enim induci poſſum ut credam, eſſe inter Vos, quotquot honeſtæ Deæ amore inflammati intra Palatium hoc Literarium adoraturi mecum conveniſtis, qui inutilem Liberorum ſupellectilem exiſtiment, dignam illorum induſtriæ quorum tempora vel otio deſtinantur, vel minus proficua. Reipublicæ habentur, malintque haſtam Palladis trementem venerari, quam vigilantem Ululam. Enimverò ſine hac malè illa vibratur, ut utriuſque nexus illis videatur per neceſſarius, qui ad ſumma enituntur. Non patitur ſuſceptæ brevitatis filum, ut longius in hoc argumento extendatur. In transcurſu ſaltem divini hujus inventi omnibus neceſſarii, omni-

nibus ſapientibus in pretio habiti meminiſſe conveniet, cujus auxilio Numen in mundo conſervatur, memoria Majorum apud nos perennat, & Orbis viget. Hujus beneficio animi ad ſapientiam, prudentiam, pietatem inſtruuntur, & ſupra plebem ſe efferunt. Huic debemus commercia cum Deo noſtro, juſtitiæ normam, valetudinis præſidia, artium omnium origines. Hoc eſt, quod jucundiſſimam tot rerum, locorum, gentium, urbium, recordationem ſuggerit, exempla virtutum deſignat, religionem animat, ſpemque æternitatis felicitatiſque recti amantibus ingerit. Verbo: ſine libris Deus jam ſilet; juſtitia quieſcit, torpet medicina, Philoſophia manca eſt, literæ mutæ, omnia tenebris involuta Cimmeriis. Non tamen ſoli libri vel ſapientes nos reddunt vel beatos. Jungenda mens hominis, accedat ingenium, experientia advocetur, ut librorum contenta augeantur vel corrigantur. Hoc inſtituto magni quidam Philoſophi, qui inter eruditos caput efferunt, novam Philoſophiam ex ingenio condentes, Libros omnes ſeponi jubent. At niſi lecti eſſent Libri veterum, quid boni vel mali inventum olim ſit ante ætatem noſtram & ſcriptum, ignorare cogimur. Horum auſpiciis in præterita revolvimur, om-
nium

nium ſapientum cogitationes perſpicimus, Principum arcana propalantur, & ea per compendium diſcimus, quæ longam curam poſtulant, denique majorum inventis quid addendum aut ſubtrahendum intelligimus. Hinc apud magnos parvoſque omni ævo, etiam non ſatis cutlo, librorum dignitas invaluit, quovis ære præſtantior. Nolo multorum exemplis rem notam tueri. Ptolemæus certè Rex pignoratis quindecim argenti talentis ab Athenienſibus *Sophoclis*, *Euripidis*, *Æſchylique* libros habuit deſcribendos. Idem Rex ob verſionem ſcripturæ ad Eleazarum Pontificem auri miſit talenta quinquaginta, argenti centum, & gemmas non paucas. Illud *Galeno* noſtro, hoc *Euſebio & Juſtino Martyri* credimus. Sed fruſtra ſum, qui in libris commendandis plura verba conſumo. Quis unquam Herculem vituperavit, niſi ignavus? Quis libros damnavit, niſi barbarus? Nemo noſtrum tam inficetum cerebrum extra calcaneum gerit, quin immenſam Dei omnipotentis clementiam exinde metiatur, quod Verbum ſuum pretioſiſſimum, oracula Prophetarum & ipſius Filii Chriſti, & Sanctorum in Eccleſia Patrum ſcripta, & res geſtas Literis ad noſtra tempora ſalvis & incorruptis propagari voluerit. Vere enim D. *Hieſtronymus*: Audia ſcripturarum, & Librorum mu-

multitudine, & ſilentio, ac Librariorum ſedulitate indigent. Nemo cordatus famam ſpernit præclarorum factorum, ſive majoribus meritam, ſive acquirendam. Annales doctorum, laudes Heroum in ſecula mittunt ut ſemper

—— Ingenio ſtet ſine morte decus.

Fama Mortales terrâ ſublimes levat, fortunata Doctorum celebrata libellis. Quippe eam tutius Libri conſervant, quam vel Pyramides Ægyptiorum, quæ collapſæ, vel ſaxa Runica, quæ exeſa, vel Inſcriptiones Romanorum, quæ vaſtatæ, & ut conſervarentur Libris Criticorum debebant inſeri, vel columnæ quæ perierunt, vel alia Mauſolæa, quæ neque mortis conditione vacant. Habent quidem etiam ſua fata libri, teredinibus & ſtammis infeſtati: Sed multitudine ſua ſe defendunt ab interitu. In eo quippe deſudarunt olim Autores vel Amici, ut pluribus ſcribarum manibus Codices in ævum victuri ſcriberentur, quod Orientales, Turcæ, Perſæ, aliique adhuc imitantur, &, inventâ Typographiâ, Librarii id ſedulo curant, ut exemplarium copia & ſibi de lucro, & auctoribus de perenni fama proſpiciant. Hinc quoque nata ingens ſollicitudo meliorum Hercum, ut Bibliothecæ ſecuro a flammis vagis loco locentur, muro undique vallatæ,

&

& librorum ſingulorum involucra ligno, corio, charta craſſiore, aloë aliiſque amaris ſollicitius confecta, vermes abigant. Romani iccirco privatas bibliothecas in balneis & Thermis collocarunt, non tam ut otioſè corpora curantes illis vacarent, quam ut à flammis tutarentur in Thermis magnifico opere & robuſto pariete lapideo exſtructis, & aquarum beneficio minus conflagrationi expoſitis. Publicæ in Porticibus Templorum tutæ credebantur. Ingens autem illa Bibliotheca Alexandrina Voluminum ſeptingenta millium flammas evadere non potuit, quia apud Serapéum conſtitit, vicinum portui & navalibus. Cum enim Cæſar in bello Pompejano tuitionis ſuæ cauſa ignem in naves miſiſſet, vicina navalibus ipſaque Bibliotheca illo inſcio conſumpta igne fuere. Prudenter ideo cautum eſt Oxoniæ, ne in Bibliothecam Bodlejanam lumen aut accenſa lampas inferatur. Contra furunculos ferreis catenis fibuliſque armati ſunt Codices in pleriſque Italiæ Bibliothecis, & ſic quoque in Veteri noſtra Bibliotheca publica ſervatos meminimus. In nova hac Palladis Officina Clauſtris ſuis muniti latent.

Quamquam verò quod in his vitemus, nunquam ulli cautum ſatis hactenus ſit, cum, ſi recte calculum ponas, ubique libro-

rum

rum ſit naufragium, multiſque inſidiis Martis furentis, Jovis fulminantis, Vulcani comburentis, Neptuni devorantis, Æoli diſſipantis & aliorum ex tartaro Dæmonum Potius quam Deorum exponantur Volumina quibus verus Deus continetur, ſapienteſque ſeculorum priorum ingenii diligentiæque teſtimonium referunt: efficere tamen omni conatu nunquam potuere, ut interirent Divina artium ſcientiarumqne inſtrumenta, quibus vel ad pietatem admonemur, vel ad ſapientiam inſtruimur.

Nam chartis nec furta nocent nec ſecula proſunt,
Solaque non norunt hæc monumenta mori.

Apud Sinas diluvium evaſerunt, apud Græcos incendium Trojanum, apud Ebræos arma Nebucadnezaris, apud Romanos barbarorum vaſtationes. Delituit diu Liber Divinæ Legis ab impiis Regibus neglectus, tandem tamen cum nummis inventus fuit ab Hilkia Regique Joſiæ oblatus. In Archivis Darii repertus inter cimelia Liber Annalium, quo ad Templi Hieroſolymitani reſtaurationem Rex excitabatur. Græca Bibliorum Verſio in dolio inventa, imperante Cara-

calla. Sic ubique Libris ſuis tuta loculamenta, DEUS præparavit, cæteriſque humanæ ſocietati neceſſariis. Inter tot Hunnorum, Vandalorum, Longobardorum, & Gothorum furias, Libri *Juſtiniani* Legum Romanarum in Bibliotheca quadam ſarti tecti remanſerunt, quos everſa Melfitana civitate Apuliæ a Piſanis repertos, Lotharii Imperatoris tempore *Irnerius* vel Wernerus evulgavit, & Jura Juſtinianea Occidenti poſtliminio cum *Pepone* Bononienſe reſtituit, barbarorum imperio vel ſilentia vel corrupta. Libros *Ariſtotelis* ſub terra conditos à blattis & tineis vitiatos Apelliconi Tejo magna pecunia addictos fuiſſe prodidit *Arabo*, qui eroſos laceroſque deſcribi curavit. Homeri Iliada atque Ulyſſeam in templo ipſo Vulcani Memphi ſecuram delituiſſe autor eſt *Euſtathius*. Medicis ſi invidit fatum Regis Salomonis Libros Medicinales & Botanicos, pluſculoſque *Hippocratis* & veterum Medicorum, DEI tamen indulgentia non pauci ex Græcis nobis ſuperſunt, extra patriam inter Arabes & Saracenos ab interitu vindicati. In minoribus etiam curam ſuperum ſatis admirari non poſſumus, quod tot ſeculorum viciſſitudinibus injurias temporum & bellorum evaſerint, ut ſi tutam ſtationem ne-

negarent homines, inferos cuſtodes invenerint. Id quod *Dictym Cretenſem* etiam expertum accepimus, qui bello Trojano interfuit, ſcripſitque, *Suidæ* teſte, acta iſtius belli ab *Homero* prætermiſſa: deinde poſt multa ſecula collapſo per vetuſtatem, vel terræ motum apud Gnoſon, olim Cretenſis regni ſedem, ſepulchro ejus, a paſtoribus inter cæteras ruinas exloculo in lucem demum Nerone ſuperſtite productus fuit, & ex Punica in Græcam, ex hac in Latinam linguam à L. Septimio Romano, ſi vera fama, tranſlatus. Quod ſi denique inter mortales terra marique exularent Libri, in cœlo tuti forent. Perennabit Liber vitæ Pſalmographo laudatus, & in ſolio Apocalyptico ſedens librum manibus ſuis excuti non patietur ſoli agno concedendum.

Huic Librorum Curatori Optimo Maximo vota ſolvimus, quod Academiæ noſtræ Bibliothecam non tantum à primis Academiæ naſcentis annis conſervarit, ſed ingenti augmento cum virili ætate creſcere voluerit. Ex parvis quippe initiis ad eam magnitudinem jam excrevit, ut Auguſto iſto ampliſſimoque Palatio novo contineri vix poſſit, ſed colonias ſuas ad minus illud Muſæum Baſilicæ B. Virginis contiguum miſerit. Ne-

que interim ſilentio prætereundi munifici Teſtatores, qui ad ampliandam Bibliothecam publicam, Libros hactenus contulerunt, & numero plures & pretio inæſtimabiles, poſteritatis cura tacti.

Manibus tuis benè precamur *Petre Alberti*, qui prima fundamenta jeciſti, non Academiæ tantum tuo conſilio erigendæ, ſed Bibliothecæ tua liberalitate inſtruendæ. Prudentia tua magna in civibus regendis, quorum Conſul eras, in Academiæ negotiis, quibus Profeſſor præeras, in Legationibus Regis Tui nomine obeundis emicuit, ſed major pietas in Librorum donatione eluxit, ſine quibus ſtudia docentium pariter & diſcentium florere non poſſe, qua eras Juris Civilis & Medicinæ ſapientia, credidiſti. Parem in promovenda Bibliotheca animum *Franciſci Wilhelmi* Canonici & Telonarii circa eadem tempora deprædicamus poſteri, laudemque ejus recentem volumus.

Quibus tertius ſucceſſit, quanquam unius pene ſeculi intervallo *Andreas Lemvicus* Academiæ Medicus, ſuam Librariam ſupellectilem, ſic ſatis pro temporum ratione inſtructam, augendæ publicæ addens.

Sed præcedentium liberalitatem longiſſimè ſuperavit, de Eccleſia & Academia optimè,

ſi

ſi quis alius, meritus *Caſparus Eraſmus Brochmand*, Selandiæ Epiſcopus, qui ter mille nongenta & nonaginta quatuor Volumina Theologica, Juridica, Medica, Philoſophica & Philologica Bibliothecæ legavit, quæ latus Palatii noſtri Bibliothecarii Boreale totum implent ornantque, & æternam beati Teſtatoris famam loquuntur, nunquam apud nos morituram. Auxit hoc beneficium alia quoque liberalitate, quam *Cæcilia* conjunx, femina gravis, benigna & antiquorum morum, poſt mariti fata, ſua pietate extendit, ampla pecuniæ ſumma ſuperaddita, ex cujus annuis Uſuris Bibliothecarius & ſub Bibliothecarius pro Bibliothecæ publicæ cura remunerarentur. Tanta ratione facultates ſuas, quas DEI munere amplas nactus fuerat, beatus ſenex Brochmannus, eſt metitus, ut bonæ mentis candidati & rerum inopia preſſi, uſu illarum fruerentur.

Neutiquam hic nobis tacendus *Henricus Fuiren*, Medicinæ & rerum Naturalium peritiſſimus Doctor, cujus tamen ſine lacrymis meminiſſe vix poſſum. Ferreis columnis appenſa in medio Palatii Librarii ambulacro videntur pietatis ejus monumenta, à Fratre *Thoma Fuiren*, publici boni amantiſſimo,

ſed nuper, quod dolemus, nobis erepto, exaucta, ſelectorum nempe in Re Medica & Naturali Librorum, ſingulari judicio & magnis impenſis collectorum theſaurus, qui de ſincero utriuſque publica Muſarum & Apollinis ſtudia juvandi animo ſemper teſtabuntur, velut trophæa æterno nomini ſuſpenſa, ferro perenniora. O candidiſſimæ Fuireniorum animæ, quæ inter ſidera in cœlo fulgetis, in ſplendido Muſarum iſto domicilio perpetua recordatione meritorum apud nos eritis ſuperſtites, quotieſcunque Librorum veſtrorum titulos inſpicimus. In famam hominum, Literatorum ore perveniſſe ſe Gordianus Junior gaudebat, nactus Bibliothecam morientis *Sereni Sammonici*, in qua 62. millia Librorum cenſebantur: *Fuirenii* vero noſtri ex propriis libris, numero quidem paucioribus, ſed pretio dignioribus, ad cœlum ferri merentur nomine æterno inter Medicos relicto. Laudent alii divitias, quibus immerſi ſerviunt. Sapientiores *Fuirenii* virtutem in divitiis explicuerunt, fortuna, quam acceperant, in publicum emolumentum, inque gloriam patriæ & ſuam, converſâ.

Ingens & ſupra quam dici poteſt immenſum beneficium *Johannis Mulenii* Georgii Fi-

Filii, grati recolimus, qui ingenita genero-ſæ mentis indole, & amore bonarum Literarum, quibus ipſe præter cæteras virtutes Reipublicæ utiles excelluit, incredibilia Muſis noſtris officia præſtitit, non tantum Bibliothecæ Theologis, Hiſtoricis, Philologis magno numero, ingenti ære inſtructæ, quæ meridionale Muſei publici latus & occidentale univerſum occupat, acceſſione luculentiſſimâ, ſed legato pio & provido aliquot mille Thalerorum, cujus reditus partim libris novis emendis, partim ſub Bibliothecarii ſalario amplificando impendendos, voluit & teſtamento juſſit. Non ponimus Tibi, Muleni beate, ſtatuam, quam viventis modeſtia repudiaret, ſed monumentum chartaceum erigimus, quod non imber edax, non Aquilo impotens poſſit diruere, nec innumerabilis annorum ſeries, nec Juga Temporum.

Denique *Petri Gelſtrupii* Profeſſoris Philoſophi donarium, quo vacantes locuti & vacunæ deficientes ſupplerentur, illaudatum, nec alios magnos parvoſque oblivione ſepeliri ſinemus, qui ad Palladis hoc Muſeum ornandum libros contulerunt, quorum nomina, ne beneficii periret memoria, in albo, quod ſervamus, æternitati conſecravimus.

Sed

Sed dum cæterorum inhæreo laudibus, oculos meos perſtringit mentemque & calamum ad ſe revocat glorioſiſſimæ inter omnes recordationis Rex Divus *Chriſtianus quartus*, Pater Patriæ, & dum fata ſinebant, optimus innocentiſſimarum Muſarum ſtator. Faſtos rerum Tuarum magnitudine illi impleant, quorum cothurni ſufficiunt. Ego, Rex Magne, ſiquidem aliquis cineribus Tuis beatis ſenſus ſuperſit, tanto

Si vacat exiguis rebus adeſſe Jovi,

Tuam umbram adoro, in vicino pariete per rariſſimos Codices diffuſam, quos maximo in Academiam tuam favoris argumento, ut Muſas foveres & illuſtriores in Borea redderes, à nobis poſſideri clementiſſime voluiſti. Et ut commodius auguſtiuſque habitarent, illuſtre illud Palatium Librarium Regali Pyramidum ſtructura ſplendidius, tuis auſpiciis, velut Cæſaris Bibliotheca, incœptum, per Filium, Succeſſorem Regnorum & Heroicarum virtutum Divum *Fridericum Tertium* Auguſtum conſecrari cum ſtupore vidimus. Scilicet talem Muſæ noſtræ locum requirebant, qui ſanctiſſimo Trinitatis Templo innixus, undique Dei tutela munitus, ſupra

ſupra ſe cœlum, infra vero calentes DEI veneratione aras reſpiceret, & inter DEI ſedem piorumque ſupplicationes verſaretur. Veterum Bibliothecæ, Ægypti, Græcorum, Romanorum publicæ in Templis Deorum vel illorum vicinia exſtructæ fuerunt. Sed immortalis DEI ſacro loco incumbens Bibliotheca noſtra, ab interitu erit tutior. Hæc igitur in Bibliothecam Academicam pietati ſapientiæque dicatam cura Regia & ſollicitudo Paterna plenis honorum muneribus, Tuas, *Auguſte*, virtutes & publicos favores in ævum per titulos, ſi pares meritis Tuis inveniantur, memoreſque faſtos æternabit.

Tot tantiſque Autoribus nata Bibliotheca Academica & adulta, tantis auſpiciis inaugurata, & ad invidiam uſque ornata, uſui publico omnibus panditur, & bona ſua pulcherrima vult eſſe communia.

Operam quippe & Oleum perdidiſſent beatiſſimæ animæ, quarum benevolo ſtudio crevit & ad eam, quam admirantur, magnificentiam erecta eſt, niſi cultores ſuos invenire & publicos proſtantium bonorum helluones. Non canes ad Nilum requirunt, non Tantalum mediis in undis ſitientem admittunt, ſed omnes ſapientiæ avidos, ſi cum voluptate frui velint, pleno alveo ſatia-

bunt. Hoc inſtituto Muſeum Alexandriæ, diuturnum illud præſtantium hominum domicilium, Hadrianus Imperator nonnunquam ingrediebatur, ut quæſtiones multas Profeſſoribus proponeret, aut propoſitas diſſolveret. Hoc animo idem muſeum, ſed altero addito Claudius Cæſar amplificavit, ut Græcæ illius hiſtoriæ ibi quotannis velut in auditorio recitarentur. Quodſi vel ille vel iſte nos inviſere dignabitur, neutiquam vel in reſpondendo vel recitando noſtram promptitudinem deſiderabit. Omnibus officia noſtra proſtabunt, velut in publico mercatu, ſingulorum guſtui accommodata.

Ut autem cum fructu ſperato bonis oblatis ſine *ἀπεψία* lautiſſimarum epularum perfruamur, ne nos tantis majorum largitionibus cenſeamur indigni, ne Autores pœniteat beneficiorum, pereatque optimi inſtituti fructus laudabilis, ne ampliſſima hac hæreditate abutamur, magno famæ noſtræ & conſcientiæ damno, ne immortales denique animæ, quæ hic loquuntur, noſtra culpa obtumeſcere, & ſibi non nobis loqui videantur, mearum duxi partium paucis Diſſertationibus modum tradere in legendis cum fructu Libris occurate ſervandum, cujus deinde ductu velut filo ariadnæo per ſingulos li-

libros ſe quiſque diffundat, proprioſque ſibi reddat, quos voto ſuo aptos judicaverit. Ferre non debui Andabatarum more hoſpites hujus loci Auguſti in tenebris ceſpitare, & Librorum tantum titulos noviſſe, corticique externo inhærere, nucleo neglecto. Debeo hanc operam Majorum indulgentiæ, qui mihi curam Bibliothecæ concrediderunt, debeo ſtudioſorum commodis, quibus me meaque ſtudia hactenus nuncupavi. Et quanquam hæc rectius a magnis Uiris qui in Officio iſto Librario præceſſerunt, *Thoma Bangio* & *Chriſtiano Oſtenfeld*, in omni Re Literaria verſatiſſimis, didiciſſe è re communi fuiſſet; attamen cum ille in adornanda Bibliotheca occupatur, hic a valetudine juſtiſſimam excuſationem meruerit, ne ego ulterius publica juventutis commoda remorarer, etiam non paucas inter occupationes alias, malui in gratiam meliorum ingeniorum balbutire, quam diutius damno omnium tacere. Video enim fato quodam ad has docendi partes me vocatum. Jactura privatæ meæ Bibliothecæ ad hanc publicam ſtravit viam. Namque ut ſolarentur Academici Patres infortunium noſtrum à Vulcano, claudo alias furcifero, ſed in exitio fortunarum mearum velociſſimo procuratum, ſuperioribus annuen-

tibus, me publicæ Bibliothecæ præficere decreverunt, pronâ in immerentem voluntate benignè teſtati, quanquam digniori *Varroni*, Cæſaris exemplo, tantum theſaurum & ex publica utilitate rectius concredidiſſent, ſibi & fortunam meam & famam cordi eſſe, ſcilicet

Notior eſt factus Capaneus fulminis ictu,
Notus humo merſis Amphiaraus equis.
Si minus erraſſet notus minus eſſet Ulyſſes:
Magna Philoctetæ vulnere fama ſuo eſt.
Si locus eſt aliquis magna inter nomina parvis,
Nos quoque conſpicuos noſtra ruina facit.

Gloriam meam non minus hinc auctam exiſtimavi, quam ſi ſacerdos à Regibus olim mox Cæſaribus Muſeo Alexandrino præficerer. Non equidem ſacerdos Ægyptius ſum, ſed DEI veri ſervus, ſed, ſi profanum nomen non averſamur, Apollinis ſacerdos, &, ſi is nemo nullus mihi invidet qui felicius in Parnaſſo ſomniat, *Pancratis* Poëtæ, ſed ſine adulatione, æmulus, cui in Muſeo Alexandrino Hadrianus Imperator locum & victum conceſſit. Nec Medicos Roma indignos judicavit, quibus Bibliothecarum curæ committerentur, ſicut ex veteri Inſcriptione

pa-

patet Romæ infra Capitolium in quadam Domo:

DIS. MANIBUS

CLAUDIÆ - - - EUTYCHIÆ
CONJUGI. SANCTISSIMAE.
BENE. MERENTI. ET. Q.

DOMITIO. HELICI. TI. CLAUDIUS.
AUG. L. HYMENÆUS. MEDICUS.

A. BIBLIOTHECIS. ET. DOMITIA.
PANNYCHIS. SIBI. ET. SUIS.
POSTERISQUE. EORUM.

Igitur ne judicia Patrum Conſcriptorum, quæ benigna expertus ſum, conceptamque de mea fide & induſtria ſpem fallerem, ne in otioſum collata beneficia ſint, ſpartam concreditam pro virili ornare conſtitui, triplicique jam munere defungi, ut gratia Patribus & Mecænatibus cederet, utilitas ad omnes derivaretur, mihi operæ fideliter navatæ conſcientia relicta. Agite bonæ mentis & Muſarum Candidati, theſauro avide inhiate, quem provida Majorum gratia nobis communem voluit. Utimini eo, ſed cum delectu, ſed ad ſatietatem. Æſtimate calli-

de Majorum ſtudia, &, mecum, more ſapientum, propria verecunde. Ad Librorum cognitionem uſumque optatum eo candore vos perducam, ut aliorum tamen meſſis intacta relinquatur, *Platonis* eruditiſſimi modeſtiam imitatus, qui conductores ſacræ arcis de modo & forma ejus ſecum ſermonem conferre conatos, ad *Euclidem* Geometram ire juſſit, ſcientiæ ejus cedens, imo profeſſioni. In cæteris, quicquid humeri valebunt, labori ſubmittam, ut *Varronis* exemplo, in eodem lectulo & ſpiritus meus, & operum beneque de omnibus merendi curſus extinguatur.

TH. BARTHOLINI DISSERTATIO II. DE LEGENDIS LIBRIS.

De ipſis Librorum Autoribus. Suppoſititii nonnulli. Mali fugiendi. Anonymi cur prodeant. Ficti fucatique metu vel modeſtia. Plagiarii. Ex his excuſati Severinus; Kragius noſtri, aliique: Autorum Patria & Ætas. Librorum cum ſeculis immutata ſcriptio. Per Theologos; JCtos & Medicos decurritur. Genius ſingularum nationum & Autorum. Ætatum diſcrimen. Status varius. Autorum Vitæ à ſe vel aliis conſcriptæ. Legenda Patrum. Effigies ſcriptorum in Libris vel Bibliothecis.

SAt hactenus verborum. Rem aggrediamur, quid in Libris legendis obſervandum neceſſario ſit expoſituri, ſed, quam fieri poteſt, breviſſimè, cum re-

rerum dicendarum copia nos in arctum cogat. In Libris legendis quædam externa nos remorantur, interna alia mentem calamumque ad ſe trahunt. Externa circa Autores verſantur, editiones Librorum & involucra. Interna nos occupant in argumento, ſeu argumenti Libris comprehenſi materia & forma, in judicio de iiſdem ferendo & modo legendi. Singula ſtrictim percurrenda, ut ad metam propoſitam deveniamus.

De Auctoribus Librorum ſollicitos nos eſſe convenit, non tantum ut debita pro exantlato in Reipublicæ Literariæ commodum labore laus rependatur; ſed quia ex auctore ſæpe de operum dignitate judicamus. Nihil certe æquius quam meritam laboribus cuique mercedem ſolvere. At ſiquidem rari Mecænates ſunt, qui aliquid eſſe putant Doctorum Virorum lucubrationes, aut præmiis remunerant, ſola laus à poſteritate remanet, ut poſtera gloria recentes creſcant. Hoc præmio animati ad majora accenduntur, hoc applauſu contenti, nominis immortalitati acquieſcunt. Hoc ſolatio eriguntur torpentes calami, & ſalutari ſepia implentur: Quanquam deſint majorum præmia, non defutura poſterorum encomia: nec omnes morituros cum ſeculo ingrato, ſed

ſed multam partem ſui vitaturam Libitinam. Non nocent erectis ingeniis ſilentia Mecænatum, nec invidiæ malevolorum, cùm pleno ore à meliori poſteritate narrentur.

Famaque poſt cineres major venit.

De paupertate triumphant, quia virtute & rerum bene geſtarum laude inſtructi, poſſeſſione æterni præmii diteſcunt. Nomina clara omnes venerantur, quibus honeſti amore pectora incaluére; hæc Librorum limini præfixa omnes titulos ſuperantia Operum ſuorum commendationem præferunt, & ad ſui lectionem, velut Orpheus ſaxa, alliciunt. Dici non poteſt quantum laudis Operi ex Autore accedat, cùm ex cerebro Jovis Minervam naſci ſit neceſſe. Hinc veterum non pauci ut ſcriptis ſuis fidem & auctoritatem mutuarentur, magnorum Virorum nomina emendicata præfigere ſategerunt. Unde tot ſuppoſititii Libri ad noſtram ætatem transmiſſi, *Hippocratis*, *Ariſtotelis*, *Galeni* nominibus ſuperbientes, digni quidem lectu, ſed tantis auctoribus indigni, pondere rerum & verborum. Inter ſacros Auctores non pauci quoque irrepſerunt purpura aliena veſtiti, quorum fides ſuſpecta

creditur, & ſi nomen, quod mentitum, excipias, nihil ſani coloris habentes. Quo referuntur *Manethon*, *Beroſus*, Chaldæus, *Barnabas*, Epiſtolæ *Senecæ* ad S. Paulum, & *Abgari* ad Chriſtum, Protevangelium *Jacobi*, Prochorus, Linus. Inter Patres primos poſterioreſque inveniuntur, quibus dica hæc falſorum titulorum ſcribitur. Quanquam & hic judicium nonnunquam ſit ſuſpendendum, cum diverſa ætatis ratio ejuſdem auctoris & mentem & dictionem ſæpe immutet. Ex Auctorum notitia id præterea commodi haurimus; ut de doctrina vel damnanda vel recipienda cenſeamus, & libros pravos fugiamus: mali corvi mala ova, quæ hæretica perverſitate infecta, legentium, præſertim juniorum, ſenſus à vero deflectunt. Ita ſibi libenter DEO deditæ mentes cavent à Libris qui *Pomponatii* aliorumque atheorum nomina præferunt, quique ex *Socini* Schola de DEO male ſentiendi libertatem concedunt. Tituli remedia ſalutis promittunt, ſed pyxides venena condunt; ſic ut conqueritur *Lactantius* de illo, qui cum veritatem Chriſtianam penitus excidere connixus eſſet, auſus tamen fuit libros ſuos nefarios ac DEI hoſtes φιλαληθεῖς annotare. Fugienda hæc nomina ſcriptorum, non male

inter

inter Libros prohibitos recenſita: licet & hic peccetur nimia ſeveritate, cum cujuſcunque Auctoris diverſum aliquando ſentientis Opera nigro obeliſco ſignentur, in quibus nihil facile invenias, quod pium Lectorem offendat. Quandoque olitor eſt opportuna loquutus. Et in re bona non pudet nos mali Auctoris, *Seneca* judice, optimo morum magiſtro. Non tam in Libris conſiderandum quis ſcribat, ſed quid ſcribatur. Ut plurimum tamen Auctori ſuo ſcripta conſentiunt, quem idcirco noviſſe expedit. Fuere inter antiquos, & tales hodieque in Nundinis Librariis incogniti reperiuntur, qui ſive modeſtia, ſive aſtu & dedita prudentia, ne innoteſcant, ſive quod infra dignitatem putent, nomina ſua reticeant, & ſine Auctore in vulgus ſcripta diſſeminent. Veteres pleroſque hæc modeſtia commendat, qui Volumina ſua Anonyma eſſe voluerunt, unde inter Criticos ortæ diſputationes, de Auctore vero litigantes. Vix ulli Veterum ſuorum Commentariorum quiquam prænotabant, ſed nomina ab Amicis vel Librariis adjecta. Ita Acta Apoſtolica *Lucam* Evangeliſtam non præferunt, quo Auctore ſcripta eſſe ad Theophilum non dubitatur, & Epiſtola ad Hebræos ſanctum *Paulum*, ejus ſine

dubio auctorem, conſulto, ut videtur, omiſit. Modeſtiam hanc alii pudore imitantur, rebus obſcœnis, ut Priapeja, vel fabulis vicinis diffidentes. Nonnulli convitiis refertas chartas infamant, nominique ſuo parcunt, ne pœnas infamiæ incurrant. Satyrici non pauci ita impunè in mores vitamque aliorum graſſantur. Alii prudentiores ſub hac larva latitantes, vel vitia Principum vel rerum publicarum arcana vel alia propalant, quæ ſine famæ vitæque detrimento eliminare eſſet nefas. Iſti vero quocunque indicio proditi malè mulctantur. Ita Il Divortio Celeſte, Il Curiero ſqualiſato *Pallavicinum* auctorem diſſimulatum prodidit, ferro expiantem pennæ licentiam. Sic *Tullio* narrante Stalenus ea locutus fertur bonis Viris ſubauſcultantibus pariete interpoſito, quibus patefactis, in judiciumque prolatis, rei capitalis jure damnatus eſt. *Naſò* exul librum ſuum, metu Cæſaris offenſi, ſine titulo in urbem miſit. Ita enim ille ad Librum:

Ut titulo careas, ipſo noſcere colore:
Diſſimulare velis, te liquet eſſe meum.

Eruditi quidam experiundi gratia, aliorumque judicia & cenſuras eliciendi, ſine nomine Opu-

Opuſcula ſua prodire patiuntur, Apellem imitati, qui poſt tabellam latens etiam ſutoris de crepida & anſulis monitum excepit. Hoc animo *Thomas Brouwne* Religionem Medici religioſe divulgavit. Hac mente magnus Philoſophus *Renatus des Cartes*, Methodum diſcendi artes Mathematicas ſine titulo Leidæ lingua Gallica in lucem emiſit, quam deinde pro ſuo fœtu agnovit auctore tanto digniſſimam. *Gaſſendus* quoque de Chyli motu eruditis ſine nomine propoſuit Diſſertationem paradoxam, nec à Medicis receptam, quam tamen inter opera ſua poſtea legi non erubuit Vir candidus. Titulos alii quidem Libris ſuis inſcriptos amant, ſed fictos, ne vulgo noſcantur. Noſtro ſeculo hæc nominum vel inverſio vel mutatio magis uſitata quam apud antiquos, qui vel nomina ſua in fronte Librorum profitebantur apertè, quanquam rariſſimè, vel prorſus omiſerunt, Noſtris temporibus hunc fucum vel timor expreſſit, vel modeſtia. Concilii Tridentini Examen, ſeu Hiſtoriam, Pater *Paulus Sarpa* Venetus edidit, ſed nomine Petri Suavis Polani, tranſpoſitis literarum notis. Celebris ille Criticus *Caſparus Scioppius*, Comes de Claravalle, amicus noſter Patavii, ſe mutatis literis *Paſchaſium* Groſippum, vel ficto

nomine *Alphonſum* de Vargaz (qui olim Archiepiſcopus Hiſpalenſis) prodidit, cum contra Patres Societatis Jeſu pennam inſtrueret. *Petrus Servius*, Medicus Romanus, cum illi controverſia eſſet de ſero Lactis cum *Stephano Roderico Caſtrenſe*, Perſium Trevium, confuſis characteribus ſe appellavit. Amicus noſter *P. Angelicus Aproſio Vintimiglia*, Ordinis Auguſtiniani Monachus eruditus, Venetiis famæ fuga vel invidiæ, varia Opuſculis ſuis Italica lingua nitide conſcriptis nomina præfigere maluit, imprimis Sapricii, quam proprium. Polyhiſtor *Salmaſius* Alexium de Meſſalia ſe nuncupavit, cum de Mutuo, an ſit alienatio, contra *Cyprianum Regneri* Juris Conſultum, quem Coprianum vocavit, diſputaret. Wallonis Meſſalini nomen elegit, contra *Petavium* de Epiſcopis differens. ſimplicii Verini, Juſti Pacii nomina præfixit Epiſtolis ſuis de Tranſſubſtantiatione, adverſus *Grotium*. Majores gentium Dii fictis nominibus ſe quoque poſteritati commendarunt. *Auguſtus* Brunſvicenſium & Luneburgenſium Dux literatiſſimus, Guſtavum Selenum ſe appellavit in luſu ſchaccio, & Libris Cryptographiæ. Et ne foris exempla petam, cum domi ſe offerant, Nobiliſſimi in Patria Viri *Oligerus Roſæcranzius*, divina

ſcien-

ſcientia incomparabilis Heros, Filiique ejus Illuſtres *Gundæus*, *Georgius & Ericus Roſæcranzii*, flores Nobilitatis Danicæ, variis Opuſculis ſacris, ſed tectis nominibus, optimè de publico meriti ſunt. Vir ad ſtuporem uſque doctus *Jo. Wandalinus*, Epiſcopus Selandiæ magnæ famæ, Nubem ſine Aqua ſcripſit, mutuato diſcipuli nomine, & Clariſſimus noſter *Borrichius* in Deuſingio Heautontimorumeno, ut *Deuſingii* mordacitatem evitaret, Blotteſandæi nomen expreſſit eruditiſſimis illis Epiſtolis, quas fictis titulis exaravit. Ut de Annulone Oroſio, noſtroque *Beringio*, heu quanto Viro, nihil dicam, qui ænigmatico titulo Regis ſui Majeſtatem & jura, rerum & verborum ingenti pondere, tutatus non ita pridem eſt. Facile tamen, quorumcunque fuco oblinentur veri Auctorum tituli, ex ungue Leones in ſpecubus ſuis latitantes dignoſcuntur, & ſuo ſe indicio produnt, ſive dictione, ſive argumenti, quod tractant, robore, & modo docendi. Mos nomina fingendi nuſquam frequentior quam apud Academicos, ut vocant, Italos, Gallos, Germanos, linguæ vernaculæ ſtudio variis Libris, Satyris & Mileſiis ſcriptis orbi inclareſcentes Præivit Euphormio Luſininius in Satyrico, hoc eſt *Joan-*

nes Barclajus, qui ficto nomine, florentiſſimo ſtylo & genio terrarum ſcelus, ut ipſe loquitur, acerbé ultus eſt. Mitius de illis judicandum, qui nomina aliena vel ficta libris ſuis adoptarunt, quam qui alienis Operibus ſua nomina obtruſerunt. Temeritatis hi maculam incurrunt & plagii, illis modeſtiæ laus debetur. His aliena vitula, illis propria, campus aratur. Hi famam & honores malo aſtu, illi labores & opera referunt. Illi verſiculos faciunt, hi præmio gaudent & meritam illis lauream ſuffurantur. Vel enim univerſa Volumina alieno labore parta in ſe transſcribunt, vel floſculos ex vicinorum pratis ſuo horto inſerunt, alienis ſe plumis ornantes, cum propriis, paupere penu careant. De tuo largire puer, ut de proprio liberalis dicaris. De his ſimilibuſque quidam Veterum præclarè dixit: magis eſſe impium ſuffurari ſcripta mortuorum, quam eorum veſtimenta, quod vocant ſepulcra, effodere. Virorum lucubrationes pro ſuis venditare, majus me judice piaculum. At ingenui ſcriptoris eſt, palam cum laude & gratiarum actione profiteri, per quos profecerit, ut ſuum cuique tribuatur. Non dubito tamen multis, qui pro plagiariis traducuntur, injuriam fieri manifeſtam. Innocen-

centes abſolvendi & excuſandi, præſertim cum ſœpe ſimili genio multi animentur, in eodem argumento occupati. Hos manes paſſi ſunt nullo merito quamplures, quorum catalogum non texam. *Homerum* antiquiſſimum Naucrates quidam plagii accuſavit, ex repertis Libris in Ægypto à Phantaſia fœmina ſcriptis. *Richardus Montacutius* aſſerit *Juſtum Lipſium* omnia ſua per plagium transſcripſiſſe ex *Onuphrio* nunquam eo compellato. *Petrum Galatinum*, omnia ſua, ſuppreſſo tamen nomine, deſumſiſſe ex Libro *Raymundi Medici*, qui ante 400 vixit annos, magna confidentia affirmat *Scaliger* & *Scioppius*. *Wowerii* Polymathia *Joſepho Scaligero* tribuitur, *Zamoſci* de Magiſtratibus Romanorum *Sigonio*, *Rondeletii* Liber de piſcibus *Peletario*, *Petri Severini* Idea Medicinæ Paracelſicæ *Pratenſi* Collegæ adſignatur. Pro reliquis intercedant alii. Ego de *Severini* noſtri innocentia ſecurus *Hartmanni* præceps de eo judicium admiror, qui *Pratenſi*, Academiæ noſtræ olim Profeſſori Medico, cujus ad *Severinum* carmen Votivum in fine legitur, operis laudem concedit. Abſolvunt virum de Re Medica bene meritum manu ipſius ſcriptæ chartæ & maculatæ, quæ in patria ſervantur, ejuſque de-

deſenſionem *Ambroſius Rhodius* editis Commentariis ſuſcepit, qui *Severini* neptem uxorem duxit. At *Nicolaum Kragium* noſtrum auctorem doctiſſimum Librorum de Republica Lacedæmoniorum, cujus fratrem *Andream* male in Ciſta Medica *Hornungus*, & ab eo deceptus *Lindanus* in Catalogo Medicorum Crugium appellat, à Calumniis eorum qui *Cujacio* ſcriptum tribuunt, vindicavit *Henricus Ernſtius* Juris ſcientia & literis inclytus, ut hac opera ſuperſedere poſſim. Reverendi *Tomaſini* manes lædunt, qui operum Variorum famam cum *Rhodio* noſtro partiuntur. Limam ſubinde illis à *Rhodio* adhibitam non ignoramus, & ſi forſan loca Auctorum deſiderarentur pro amicitia, quæ utrique interceſſit maxima, ſicut inter doctos fieri ſolet, communicata, utriuſque amicus teſtari bona fide debeo. Nec aliud hujus modeſtia & ſueta longo ſcribendi uſu penna ſuadet. *Tobiæ Aldini* Botanici Pontificii Hortus Farneſianus, qui *Petri Caſtelli* opera concinnatus fertur (nec etiam id ipſe Caſtellus, quem Meſſanæ in Sicilia conveni, diffitebatur, tacitèque in Præfatione operis indicavit) autorem cujus nomen gerit, facile prodit, in re herbaria verſatiſſimum, licet ad formam conciliandam & illuſtrandum

te-

textum opera amici *Caſtelli* uſus ſit. Iniqui quippe ſunt Cenſores, qui Auctoribus benè meritis & in argumento quod ſuſceperunt peritis, ideo debitam laudem invident, quia vel in digerendo vel emendando vel nitori reſtituendo ſubſidium imploratur amicorum, quibus vel plus otii, vel latina verba promptius fluunt. Actum ſane eſſet de *Caſſerii* operibus Anatomicis, aliiſque quibus recenſendis in præſenti ſuperſedeo. Tantum igitur in Auctoribus noſcendis momenti poſitum, ut ex illorum vel pietate vel eruditione vel parta fama libris increſcat autoritas. In illorum porro vitam, ætatem & vivendi genus inquirendum non minori ſollicitudine, ut expeditius in legendis eorum laboribus verſemur. Vita inter virtutes omnes & experimenta artis, quam quiſque profitetur, acta, fidem apud nos operum præclarorum conciliat. Patria ſeu natale ſolum ingenii fœcunditatem prodet, ſi vel externo Phœbi calore incaleſcant, vel interno pectoris etiam inter frigidos Getas algentemque perpetua nive Boream calore excitati vim mentis exſerant. Nulli quippe nationi noverca natura eſt, ſi ingenium diligentia acuatur, ſi latitantes igniculi bonarum rerum aſſidua ventilatione ſuſcitentur. Cœlum undique ſu-

 pra,

pra, & ignavia ſola nos opprimit ne ſidera ſublimi vertice feriamus. Quanquam non ſegnem operam ſectionibus Anatomicis hominum brutorumque olim impenderim, Proſectoreſque per Europam maximi nominis viderim, hactenus tamen nec lynceis oculis inſignem differentiam in cerebro, corde, epate, cæterisque viſceribus obſervare potui, nec obſervare aliis licuit, quæ Arabes, Græcos, Hiſpanos, Italos, Galloſque à Germanis, Anglis, Danis, Suecis, Norwegis, Iſlandis & qui in ultima Thule habitant, ſi partium conformationem conſideres, ſeparent, ut ab eruditione & rerum bonarum vel inventione vel exercitatione, ſeu hi ſeu illi ſeu iſti excludantur. Sed ex cujuſque nationis temperie diverſa varii animorum motus repetendi, & diverſa ſtudia accerſenda, quibus populi diſcernuntur. Cæterum patet cunctis gloriæ campus, per quem decurrant. Et apertæ *Petri Apoſtoli* Confeſſioni credimus, Deum non reſpicere perſonas, ſed in quavis gente acceptum ei eſſe quemvis, qui eum timet & operam dat juſtitiæ. Hinc Auctorum ætas proſpicienda, ſive ſeculi, in quo vixere, ſive annorum, quos exegere, ratione habita. Secula de moribus & rerum tractandarum capacitate teſtantur, cum, ut eleganter more

ſuo

ſuo *Barclajus* diſſerit, omnia ſecula genium ſuum habeant, qui in certa ſtudia animos mortalium ſolet inflectere. Sub Auguſto, pacis ſeculo, ad faſtigium latina venuſtas provecta, produxit Poëtas feliciſſime numeris ludentes, Rhetores & aureæ ætatis Auctores, quorum deinde nitor & vigor labente poſt Neronem imperio Romano ſenſim exſpiravit, donec tandem irruentibus barbaris in barbariem Roma laberetur. Succeſſis mox ſeculorum infelicitate Philoſophia diſputationibus miſerè involuta, & Juſtitiæ cura inconditis voluminibus ad tædioſos diſcentium labores aucta. Tandem ſub *Carolo Magno*, ſpiritum receperunt ſcientiæ diu cum barbarie ſua luctatæ, & avorum noſtrorum memoria literæ in Europa renaſcebantur, nunc ſanæ Philoſophiæ ardore increſcente juxta *Ariſtotelis* ejusque Interpretum mentem, nunc Auctorum, Græcorum Latinorumque emendatione à Philologis Criticiſque acerrimo ingenio procurata, Quorum omnium jam fatalem terminum adeſſe cerminus, pleriſque vel experimentis Naturæ & Artis, Peripatetica ſubtilitate relegata, ſuperiorum credulitatem caſtigantibus, vel vernaculæ linguæ decus, excuſſa meliore literatura, reſtituentibus. Ad ſacrorum in Eccleſia Chriſtiana Docto-

rum fata ſi proprius oculos reflectamus, ſecundum ſeculorum mutationes genium quoque mutabilem & ſcribendi genus mutatum deprehendemus. Puriſſimam Evangelii doctrinam in incunabulis ſuis nobis tradiderunt *Evangeliſtæ*, *Apoſtoli* & qui proxime Apoſtolorum tempora ſequuti ſunt *Patres* Eccleſiæ primitivæ. Ætatibus ſequentibus primo *Origenis* errore, Evangelium ad Philoſophiam inflectentis, moxque *Pelagii* cœno inquinata tempora *Auguſtino* ingens negotium faceſſerunt, ſicut ex ſcriptis ejus manifeſtum. Creſcentibus deinde Eccleſiaſticorum imperiis & opibus, Dominicanorum & Franciſcanorum modeſta vita & innocens emerſit ad Theologica ſtudia mortales revovocans, quæ transformáre deinceps cœpit, duce *Alberto Magno* aliiſque Scholaſticis, Eccleſiæ doctrinam in Philoſophiam. Unde *Thomæ* & *Scoti* invaluit contentio, quam nupera ſecula turbarunt, quibus reformandæ Eccleſiæ zelo intenti Doctores Germaniæ, in varias Sectas diviſi amplam & diſſenſionum & Librorum Theologicorum meſſem, hodieque ſine fine perennantem, reliquerunt. Æſtimare ex hac ſeculorum ſerie pronum eſt, quibus rebus vel hic vel ille Eccleſiæ Doctor ſcripta ſua condiat.

diat. In brevi compendio ingentia aliorum Voluminum contenta refero. Nec enim noſtri eſt inſtituti accuratius, quam ad rem noſtram, hæc exponere. In jure Romano quid ſecula immutarint, ex Antiquitate Romana liquet. Regio ſtatu durante leges Regiæ latæ, à Papirio in Librum relatæ. Exactis Regibus & in Reipublicæ formam mutata Roma, abrogatæ illæ, & ex Græciæ Rebuspublicis per Decemviros allatæ X. *Tabulæ* ex propriis Legibus Romanorum ad XII. auctæ. His addiderunt Senatus Conſulta, Plebiſcita & Magiſtratuum Romanorum Edicta, quæ annua plerumque prout ipſi Magiſtratus annui, licet deinde lege Cornelia perpetua fuerint, & juſſu Hadriani Imperatoris à *Juliano* Juriſconſulto in ordinem digeſta, ut Edicti perpetui privilegio gauderent. Imperatoria dignitate ſuccreſcente, ſucceſſerunt variæ Juriſconſultorum Sectæ, ſicut fieri ſolet, Legum mutatio vel de ſenſu legum altercatio in mutationibus Regiminum, *Labeone* ex ingenio multa innovante, *Capitone* vero antiquarum Legum veſtigiis preſſe inſiſtente.

Ex horum diſcipulis & Sectatoribus tanta Juris commentaria emerſerunt, ut numerus librorum ad duo millia & verſuum trecen-

ties

ties decem millia excreverit, quæ *Juſtinianus* Imperator ope *Triboniani* aliorumque Juris Conſultorum contraxit & in ordinem redegit, in Digeſtis & Codice duplici, & pro ſtatus ſui varia conditione, negotiiſque variis in Imperatoria dignitate emergentibus, Novellas Conſtitutiones addidit. Labente poſt Juſtinianum Imperio, neglecti Juris libros novis Voluminibus reſarcivit *Leo* Philoſophus, ſed omnium oblivionem induxere Longobardi & Gothi, qui ſuis juribus pro ratione temporum vivebant, donec illis expulſis, Lotharius per *Irnerium* leges Romanas revocaret, additis Authenticis. Cum poſt Phocam Pontificum Romanorum authoritas publico Imperatorum Juri nonnihil detrahere cœpiſſet, Conſtitutiones & Decreta nova Eccleſiaſtica condita ſunt, quæ *Gratianus* Monachus in unum Volumen collegit, & Juris Canonici nomine confirmarunt Pontifices. Hoc adhuc apud ſuos valet, ſed ab illis rejectum, qui his ſecutis poſtremis novas pro cujuſvis confeſſione Conſtitutiones Eccleſiaſticas ſanciverunt. At Jus Civile Juſtinianeum hodie quoque in Imperio Romano Germanico vim legis obtinet, & apud alias Europæ gentes olim Romano Imperio ſubjectas ſervatur, niſi quod de meliore

metho-

methodo cogitent Juriſconſulti quidam recentiores *Weſenbecius*, *Vultejus* aliique interpretes doctiſſimi. Noſtris vero moribus *Waldemarus* II. Rex Daniæ Jus Cimbricum condidit, & ſucceſſores in imperio Danico pro temporum ratione Receſſus addiderunt, quæ mutata jam per Divum *Fridericum III.* regiminis forma, novus Codex Juris Danici vel emendabit vel illuſtrabit. Ad Medicos propero, quorum ſecula noviſſe convenit, ut de Autoribus rectius ſententiam feramus. Parcior tamen in his ero, ne medicinæ ſcientia, quam profiteor, aliis videatur fraudi eſſe aut quicquam detrahere. *Hippocrates* Artis noſtræ princeps conditor, in infantia medicinæ vixit ævo Artaxerxis, & cum pleraque ex Æſculapii templo præcepta collegiſſet, propriaſque in Coo Inſula obſervationes addidiſſet, pro rerum temporumque cruditate ſcripta ſua nervoſo brevique dicendi genere confecit. Medicinam rationalem, quam ex Empirica Hippocrates acceperat, ſine æmulo non ſine imitatore, à Græcis ad Romanos tranſtulit, qui tot ſeculis ſine medicis, non ſine medicina vixerant, poſt fata ejus *Cornelius Celſus* ex fontibus ſuis, h. e. *Hippocraticis* derivans & ad robur virile deducens, quanquam interea Empirici experi-

mentis faciundis cum *Scribonio Marcello* & *Sexto* occupati fuerint, nec non Methodici ſua dogmata adſtricta & laxa diſſeminarint. *Galenus* deinde poſt annos ſexcentos, Romæ ab Hippocrate nonnihil deſciſcens Dogmaticam rem ſtrenue egit, & Aſiatica loquacitate, quia docere & *Theſſalum* alioſque Sectarios debellare debebat, gravitatem *Hippocratis* vel Sententiarum brevitatem compenſavit. Quem *Trallianus*, *Ægineta*, *Aetius*, *Oribaſius*, *Actuarius*, alii ſecuti ſunt. Horum doctrina ad Arabum tempora ubique floruit ad ſeculnm Chriſti novum, ad quos, Saracenorum tyrannide licet infeſta, medicina tranſiit, *Avicennæ*, *Averrhoës*, *Meſuæ*, aliorumque amplis Compoſitionibus & Syrupis, pro delicati ſeculi guſtu, ditata. Horum placita ad ſeculum tertium decimum in Scholis Europæ & Gymnaſiis viguerunt, Librique in Cathedris lecti, tot Interpretum Commentis, barbaris & nauſeam excitantibus repleti, donec ſuperiori ſeculo naturam ipſam ſollicitare Medici cœperint, partim Chemiæ ſtudio per *Paracelſum*, partim Anatomes, duce *Carpo* & *Veſalio* quod ſenſim etiam noſtra ætate beneficio Naturæ benignæ & Medicorum contentione ad illum perfectionis gradum vidimus provectum, ut

ipſa

ipſa Natura invidere poſſit tot quotidie experimentis ſollicitata, tot obſervationibus omnium oculis expoſita. Hiſce ſingulorum ſeculorum fatis, quibus auctores vixiſſe conſtat, ſi ſpiritus ille impetuſque addatur, qui ſingulis regionibus proprius, naſcentibus hominibus ingeneratur, & ad varium ſtudiorum genus impellit, de Auctoribus judicandi promptior via aperietur. Illum autem mores animoſque mutantem ex temperamento nationum ſingularum æſtimamus, ex quibuſcunque denique principiis repetendo, in quibus eruendis præclare occupatur *Huartus* Hiſpanus, ejuſque cenſor *Poſſevinus*. Hinc in hiſtoriis ſatyriſque conſcribendis nonnulli felicius verſantur. Alii artes mechanicas bellandique gloriam præferunt. Mathematica hi ſectantur genii quadam inclinatione, illi ſacra, medicinam iſti, plures amœniora ſtudia, alii per experimenta naturam venantur, alii ratione, ſingulæ nationes ſuo modo Palladi procantur. Cujuſque Auctoris genium, ſi in univerſum conſideremus, ſeculum & patria prodit. Et, ne hic ſubſiſtamus, ætatis quoque ratio tenenda in ſingulis. Alia enim juvenilia ſunt ſtudia, ſenectutis alia, illa ingenii plus, hæc prudentiæ habent. Ex poſterioribus ſe æſtimari vo-

ſunt Auctores, cum non raro impetum juvenilium ſcriptorum matura ſenectus ſiſtat. Unde nati retractationum Libri, poſt Curæ, & δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι. Temeritas quippe, ut *Tullius* cenſet eſt florentis ætatis, prudentia ſenectutis. Injuriâ tamen juventuti detrahunt famam, ingenio meritam, qui cum *Nævio* Poëta inclamant. *Proveniebant Oratores novi, ſtulti, adoleſcentuli.* Omnes ad Rempublicam literariam operas partiuntur, ſicut in navi malos alii ſcandunt, alii per foros curſant, alii ſentinam exhauriunt, alii anchoris præſunt, ad clavum alii ſedent. Non faciunt ea ſenes quæ juvenes, ſed juvenum labores vel ſupplent ætate vel judicio moderantur, fundamentis adoleſcentiæ conſtituti. Non damnanda Auctorum juniorum monumenta, ſed laudanda; neque enim hiſtrioni, ut placeat, peragenda eſt fabula, modo in quocunque fuerit actu probetur. Nec omnia ſenectutis vitia amplectimur. Memoria enim imminuta ceſpitare nonnunquam & dormitare bonos Homeros cogit. Cui tamen ſenectutis morbo remedium inventum ſcimus. Reſiſtendum ſenectuti mente vegeta, ut diligentia defectus tacitè obrepens compenſetur, ſic ad extremum ſpiritum poſteritatis nos cura conficiet.

Du-

Dubitandum non eſt, ſi Medicus cum *Abenzoare* centeſimum & triceſimum annum attingat, & a 25. ætatis anno medicinam exerceat, quin rerum uſu & judicandi dexteritate præferendus ſit præcoci Medicorum juniorum audaciæ, qui cruda ſua ſtudia in Noſocomia protrudunt, nocteque una naſcuntur Doctores, ut fungi. In vitæ inſtituto occurrunt non pauca, quæ faciunt ad legendos libros. Quis fidem ſacris ſcriptis denegabit, quæ DEUM auctorem habent, vel à DEI inſtinctu ſcriptores θεοπνεύστους. Quis Libro ſapientiæ non amet innutriri à Regum ſapientiſſimo *Salomone* concinnato? Quis belli artes aciemque inſtructam melius deſcribet, quam *Julius Cæſar*, qui primis in bello Civili & Gallico partibus functus eſt? *Salluſtius* in Curia princeps Jugurthæ & Catilinæ nefandas artes depingere in hiſtoria potuit, quia talibus ad ſenatum referri ſolitis aſſueverat. Inter recentiores *Cominæus* & *Guicciardinus* bellis ipſis præſentes fuerunt, quæ ſcriptis conceperunt, hic dux, ille conſiliarius. Oratorem nemo melius delineabit, quam *Tullius* Oratorum ſummus. Agriculturam niſi à peritis fruſtra expectaveris. Quam laudem ſibi *Varro*, *Cato*, *Palladius*, *Columella*, ſumunt. Medicinam Medici,

F 3 tractant-

tractantque fabrilia fabri. Monachorum vitas & regulas Monachi clauſtris ſuis devoti, optimè perſequuntur. Nec idcirco commentaria Monachorum in *Meſuen* vileſcunt, ſiquidem Monaſteria ſingula ſuos ex ordine habent Pharmacopœos, nonnunquam & Medicos, eoſque doctiſſimos. Non diffiteor extra profeſſionis ſuæ terminos non paucos evagari, ut Reges de Tabaco & Agricultura, Principes de concionibus ſacris, Nobiles de Pſalterio, ſartores de animalibus, ſacerdotes de morbis diſſerant, ſutores de pictura cruris judicent, de clericis Laici. Sed hanc damus veniam petimuſque viciſſim. Nam utinam totus populus Jehovæ eſſent Prophetæ, indente Jehova ſpiritum ſuum illis. Sunt vaſta ingenia, quæ intra anguſtos unius ſcientiæ fines ſe neſciunt continere, ſicut nec Euripus intra limites ſe conſtringi patitur, quin ſubinde increſcens extra alveum prorumpat. Regum, qui nihil neſciunt, verba, ut edicta ſubmiſſe admittimus & veneramur. Principum Nobiliumque pietatem exoſculamur. Paſtores ad Decretalia amandamus, ſartores alioſque inſigni curioſitate rerum Naturæ contemplationibus deditos laudamus, ſutores denique cum *Apelle* ſupra plantam aſcendere inhibemus.

Ne-

Neque enim familiis ſe eruditio adſtringit, magnis parviſque per Librorum monumenta inclareſcentibus. Illi generoſam majorum ortuſque ſui famam ingenio docili ad artes optimas perficiendas conferunt: hi obſcuros natales propria induſtria & rebus præclarè geſtis vel ſcriptis illuſtrant. Sic *M. Porcius Cato* nomen ſuum Tuſculi ignobile Romæ nobiliſſimum reddidit. Ornata enim ſunt ab eo literarum latinarum monimenta, adjuta diſciplina militaris, aucta Majeſtas Senatus, prorogata familia, in qua maximum decus fuit poſterior Cato ortus: *Euripidis* mater olera, *Demoſthenis* pater cultellos venditans nihil prorſus obfuit, quin ille Tragica, hic Oratoria vi ſe orbi conſpiciendum præberet. Hæc *Naſonis* confidentia eſt:

Sit quoque noſtra domus vel cenſu parva, vel ortu;
Ingenio certe non latet illa meo.

Salva omnibus ſunt ſua jura nativitatis pariter & ingenii, modo, quod *Flacci* eſt conſilium, qui ſcribunt, materiam ſuis viribus æquam ſumant. Indicia indubitata præbet indoles, educatio, peregrinatio, ſtudium me-

meditatione aſſidua, lectione antiquorum recentiorumque, experientia haud fallaci continuatum & cæteris auxiliis, quæ bonæ mentes ad perficienda ea quæ Cedro digna ſunt requirunt, ſublevatum. Auctorum de his vitæ teſtabuntur, quas expediet evolviſſe. Pauci ſunt, qui propriam vitam deſcripſerunt, inter quos *Cæſar Auguſtus*, *Tiberius*, *Claudius*, *Antoninus* Philoſophus, *Severus*, *Carolus IV.* Imperator, Jac. Aug. Thuanus, Mareſchallus Baſſompierre. Hi quippe, ut *Tacitus* loquitur, ſuam ipſi vitam narrare, fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati ſunt. Nec id Rutilio & Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit. Plures aliorum virorum illuſtrium vitæ curriculum ſibi deſcribendum ſumpſerunt, ut *Suetonius*, *Laertius*, *Plutarchus*, aliique ex antiquioribus. Inter Chriſtianos vitas Sanctorum bona fide nonnulli recenſuerunt, nonnulli fabulis inſperſis corruperunt, quæ in *Legendis Patrum* eminent. De quibus dolenter potius quam contumelioſe dixit *Melchior Canus*, multo à *Laërtio* ſeverius vitas Philoſophorum ſcriptas quam à Chriſtianis vitas Sanctorum, longeque incorruptius & integrius res Cæſarum expoſuiſſe *Suetonium*, quam expoſuerunt Catholici Martyrum, Virginum

ginum & Confeſſorum : Idem de *Abdiæ* hiſtoria Apoſtolorum fabuloſa judicat *Bellarminus.* Noſtro ſeculo hiſtoricorum Græcorum & Latinorum vitas erudite *Ger. Jo. Voſſius* pertexuit, Eruditorum Scriptorum Germaniæ *Melchior Adamus*, Italiæ *Tomaſinus*, *Lauretanus*, *Craſſus*, Belgii *Meurſius*, Daniæ *Vindingius* noſter, Sueciæ *Schefferus*, ut prioris ſeculi decora, Crinitum, *Gyraldum* prætercam, quibus curæ fuit Poëtarum vitas recenſere & illuſtrare. De Medicis *Capellanus* ſollicitus fuit, & uberiorem illorum hiſtoriam à *Jo. Henr. Meibomio* conſcriptam à Filio ejusdem *Henr. Meibomio* expectamus. Juris Conſultorum recentiorum Vitas *Fichardus*, *Mantua*, *Zilletus*, *Freymonius* attigerunt, ut taceam hinc inde Virorum Clariſſimorum vitas, a variis ſparſim editas, quas & referre difficile & perlegere operoſum. Quibus lucem offerunt effigies magnorum Auctorum olim in ſtatuis, auro, argento, ære, gypſo in Bibliothecis, imo & nummis, hodieque in ære conſpicuæ. Latentem enim ingenii vim & genium ſcriptorum ex imaginibus & vultu dijudicamus. Multorum imagines æri inciſas novem partibus congeſſit in Chalcographia *Ammonius*

à *Boiſſardo* inchoatas. Illuſtrium Juris Conſultorum effigies ex Muſæo *M. Mantuæ* prodierunt. Et Medicorum *Sambucus* dedit. Non culpanda plerorumque hodie conſuetudo, libris à ſe editis imaginem ſui præficere, non terriculamentum avium aut Zoilorum, ſicut jocatur *Riolanus*, in quod conſpuant, ſed ut lutum illuſtri facie conſpiciatur. Olim quoque in Librorum fronte effigies expreſſas indicat *Seneca*, Iſta, inquiens, exquiſita & cum imaginibus ſuis deſcripta ſacrorum opera ingeniorum. In Bibliothecis Romæ ſuſpendebantur, vel in Atrio, quod inventum Pollioni tribuit *Iſidorus*, vel in pluteis ante ſuos quæque libros, *Juvenalis* indicio, de quibus plura monuit *Lipſius* quam enarrare in præſenti queamus. *M. Antonius Philoſophus* tanti præceptores ſuos æſtimavit, ut imagines illorum aureas in larario haberet. Adduci nunquam potuit *Caſpar Scioppius*, quanquam ſœpe ab amicis rogatus, ut effigiem ſuam vel coloribus pictorum vel æri cælatorum committeret. Neſcio an faſcini metu, quod adverſariorum, quos & magnos & multos habuit, præſtigias timeret. Hinc maluit cum *Actio* poëta voluminum, non imaginum certamina exercere.

Cer-

Certe nec *Palæottus*, nec *Velſerus*, nec *Pinellus*, viri magni ſe vivos depingi voluerunt, ſicut *Calceolarius* in Muſeo prodidit. Mens ſcilicet illis cum *Naſone* eadem, qui amicum imaginem auro inſculptam habentem ita alloquitur:

Grata tua eſt pietas: ſed carmina major imago
Sunt mea; quæ mando qualiacunque legas.

TH. BARTHOLINI
DISSERTATIO III.
DE
LEGENDIS LIBRIS.

De ſcriptorum lingua. Ebræa, Latina omnibus utilis. Romana communis. Arabica quoque, Theologis imprimis & Medicis. Lingua univerſalis impoſſibilis. Vernaculi Libri quibus utiles. Mileſii ſcriptores. Verſionibus quid tribuendum. Autorum opera pondere non numero æſtimanda, ex uno ſæpe commendantur. Catalogus operum cujuſque.

AUctores eorumque præclara nomina nos ad ſe operaque edita alliciunt, magna fiducia accenſos, exactam genii & eruditionis teſſeram ibidem inventuros, præſertim ſi ita publice loquantur, ut privatim legi & intelligi poſſint, ne uſu

uſu nobis Lectoribuſque aliis eveniat, quod *Accurſio*, magni alioqui nominis Juris Conſulto, ſed variarum linguarum ignaro, acci-diſſe legimus, qui ad Græcas voces ſubſtitit, cauſatus, Græcas eſſe eas, nec poſſe legi. Iccirco circumſpiciendum Lectoribus ſtatim erit, qua lingua Auctores in conſcribendis Operibus ſuis utantur. Eſt vero illa vel Eruditorum communis, vel vulgaris cujuſque nationis. Inter eruditas linguas Hebræa, Græca, Latina recenſetur, quas, etiam in cruce Chriſti ſacratas, illi plerumque callent, qui inter eruditos nomen ambiunt, quippe, quibus omnis ſapientia divina & Humana conſignata extat, ideoque omnibus Facultatum Studioſis intellectu neceſſariis. Et quanquam cum Imperiis Ebræorum, Græcorum & Romanorum linguæ hæ Cardinales fatali quadam revolutione interciderint, ſucceſſeritque corruptela ſingularum, nam Rabbini Ebræam vel ex orientalibus Syriaca, Arabica, Perſica, Græca, corruperunt, in *Talmude Babylonico* nec vulgo ſatis intellectam, ut etiam Lexicis novis indigent, vel ex linguis gentium ubi conſperſi degunt, conflarunt, & ſolis literis Ebræis detruncatis legi voluerunt, ſicut Ebræi Luſitani Luſitanicam, Germani Germanicam, Poloni Polonicam hodieque

characteribus exhibent. Græcos pariter pergræcantes potius quam Græcè loquentes invenias; Romani denique Ramano ore loqui docendi jam ſint: ſingulorum tamen incorrupta lingua in Libris ad finem ſeculorum perennabat, in Codice Ebræo, in Græcis ſacris & profanis, & Latinorum voluminibus ſingulari cura ad nos poſteroſque conſervatis. Omnium adhuc uſus eſt in ſacris peragendis, Biblłorum Ebræorum in Synagogis Ebræorum, Novi Teſtamenti in Templis Græcorum, & Latinæ Bibliorum Vulgatæque, ut vocant, Verſionis in Eccleſiis Chriſtianorum Occidentalium, ut omnibus iſtarum linguarum notitia adhuc opus ſit. Theologis in pretio eſt Ebræa, libros *Veteris Teſtamenti* & *Rabbinorum* lecturis, Græca, LXX *Interpretes*, *Novum Teſtamentum & Patres* Græcos *Canoneſque Conciliorum* evolventibus, Latina propter *Patres Latinos.* Juris Conſultis Ebræa lingua vel utilis vel ornatui eſt. Leges enim Ebræorum forenſes inſpiciendæ, quas *Seldenus* JCtus enodavit. Reſpublica Judaica pernoſcenda, quam nervoſe deſcripſit *Cunæus* JCtus. Græcam ignorare non poſſunt propter *Theophili* Inſtitutiones Juris Græcas, Orientales leges Græcas, editas a *Stephano*, Novellas *Leonis* &
alio-

aliorum, Hiſtoriam Græcam, imprimis *Agathiæ* de imperio Imperatoris Juſtiniani & Βασιλικῶν libros. Ipſe *Juſtinianus* ex Græcis legibus multa additamenta ſuis inſeruit, & in *Florentinis Pandectis* multa legum interpretamenta Græcè addita obſervavit *Scipio Carteromachus.* Latina familiaris illis eſſe debet & domeſtica, Imperatoris *Juſtiniani* in gratiam, ex cujus Digeſtis Latina lingua, ſi periiſſet, ut *Valla* pronunciavit, reſtaurari poſſet. Medicis quoque meis iſtarum Linguarum peritia vel ſcientiam afferet vel famam. Ebræa morbos, herbas & alia ex *Sacro Codice* docebit. Græca *Hippocratem*, *Theophraſtum*, *Dioſcoridem*, *Galenum* alioſque hujus commatis interpretabitur. Latina *Celſum*, *Scribonium*, *Aurelianum*, *Plinium*, cœteroſque poſteriorum temporum Interpretes bene multos neceſſario conciliabit. Omnes denique, quos vel Philoſophia delectat, vel Hiſtoriæ afficiunt, vel amœniora ſtudia oblectant, in Libris Ebræa, Græca & Romana lingua loquentibus invenient, quod & prodeſſe poſſit & delectare. Quanquam Verſionibus ſuperficiaria rerum cognitio acquiratur, nihil tamen certius eſt, quam dulcius ex ipſo fonte bibi aquas. Sed ex omnibus Linguis Romana inter eruditos max-

maxime adorari cœpit, qua animi ſui ſenſa, ut omnibus innoteſcant, exprimunt, quia ſingulas nationum linguas addiſcere, nec vacat ſcriptoribus, nec lectoribus tempus ſufficit. Hac dialecto inter doctos recepta, plerique eruditarum gentium Scriptores ſua volumina conſignarunt, & adhuc utuntur in Fœderibus Magni parvique. Ipſi Ebræi ſe huic ſubmittunt, & Græci, quicunque noſtro ſeculo ab omnibus legi & intelligi cupiunt. *Caſtrenſes, Luſitani Amatus & Zacutus*, *Chebibi*, Medica tradiderunt, *Menaſſeh ben Iſrael* de Creatione, reſurrectione, Conciliatione locorum pugnantium, Termino vitæ, latino idiomate libellos divulgavit Græci *Allatius*, *Cotunius*, aliique Philologica & Philoſophica nuper tractarunt, & priori ſeculo *Argyropylus* & *Trapezuntius* in traducendo Ariſtotele fatigati: Tantumque invaluit communis hæc lingua, ut hodieque cuſtodiat ſecreta Principum & Eruditorum. Nec aliter oportet ſcribere, quam ejus Monarchiæ ſermone, cujus etiam nunc veſtigia integra ſuperſunt. Huic tamen, quia Orientale imperium ab Occidentali diviſum, in Oriente poſt Græcam protritam & exulantem, ſuccedit Lingua Arabica, qua *Alcoranus* ſcriptus, & paſſim per vaſtas nationes illas ſe diffundit. Innumeros

ros Libros variarum materiarum ea ſcriptos, ex oriente advectos vidi. Hæc certe non tantum propter commercia, quæ nobis cum Oriente intercedunt, & utinam majora non immineant, Europæis addiſcenda, ſed egregiorum Voluminum cauſa, quæ dedecus eſſet vel non legere vel non intelligere. Habet Theologus in Alcorano quod ſatagat. Pulchrius ſane & Chriſtiano orbi utilius in illo refellendo, convertendiſque ad fidem Chriſtianam Mahometanis occupatur, quam ſæviendo, in propria viſcera. Non facile autem ſectæ lativagæ ſe opponet, niſi linguæ, qua *Coranus* conſcriptus eſt, ſit gnarus. Unde *Gisb. Voëtius* multiſcius Theologus, exoptavit Alcoranum edi Arabicè cum verſione latina & notis textualibus, ut & *Sunam*, alioſque libros, qui parem aut proximam ab Alcorano autoritatem obtinent. Quanquam quam plures recenſeantur, qui oppugnationem ex Chriſtianis moliti ſunt, irrideri tamen nonnunquam à Mahometanis Chriſtianos mihi teſtabatur *Jacobus Golius*, vir clariſſimus, quod congrediantur de religione diſputaturi, qui linguæ imperitiâ, falſa dogmata ſectis affingant, nec dubitare Chriſtianos de Mahometanis mitius judicaturos, ſi ex fntibus de veritate ſibi pate-

rentur perſuaderi. Ne nos hæc calumnia tangat, Arabica lingua debet eſſe familiaris, cum etiam N. T. libri iſta lingua proſtent. Medici quidem *Avicennæ*, *Averrhoës*, *Abenzoar*, *Meſue*, *Serapionis*, lectione vera frui nequeunt, niſi ad hanc linguam ſe convertant, quod etiam ſtrenue *Veſlingius*, *Plempius* aliique pauci ſunt conati. Magnum Arabum in Medicina excolenda ſtudium eluxit, quorum beneficio multa Græcorum Medicorum Opera ſervata. Nam quæ de adminiſtrationibus Anatomicis in *Galeno* deſiderabantur vel injuria temporum bellorumque perierant, poſtremi ſcilicet, conſervati ſunt apud Arabes, in verſionibus diligentes, quorum Manuſcriptum exemplar benevolentia laudati Golii poſſideo, publico deſtinatum. In Poëſi, hiſtoria & Philoſophia præclari Codices ſe commendant, quos *Abulfarai*, *Lochmannus*, *Ales*, aliique reliquerunt, quorum verſiones *Erpenio*, *Kirſtenio*, *Pocockio*, *Elichmanno*, *&c.* referimus acceptas. *Livius* ex Arabica lingua tranſlatus habetur. Tantæ linguarum diverſitati, qua & Libri & Epiſtolæ laborant, ut ab omnibus intelligantur, licet remedium aliquod ingenioſa recentiorum curioſitas invenire tentaverit, vel lingua univerſali, vel

cha-

characteribus generalibus, Chinenſium imitatione, necdum tamen de ſucceſſu inventi ſperare certi quid poſſumus. Dubito quoque de felicitate, cum in pœnam mortalium inducta polyglottorum varietas, quamdiu mortales erunt, hoc eſt, pœna digni, perennatura videatur. Tot capitum varietatem, quis ſub unius linguæ obſequium reduxerit? Quis dona DEI imminuet, quibus hæc annumerantur? Sed nihil periculi. Augentur potius in dies ſingulos linguæ, vel linguarum licentiæ, in calumniis conſarcinandis, in libris conſcribendis, quos ſingulæ gentes vernacula loquendi conſuetudine amant, vel commodi proprii occaſione, vel nationis ſuæ prærogativa, & natalis ſoli ſermoniſque privilegio. Crevere hinc in immenſum Bibliothecæ, pro nationum multitudine. Unde Libri Sinenſes, Ruſſici, Samaritani, Perſici, Æthiopici, Turcici, Coptici, Syriaci, Illyrici, Italici, Hiſpanici, Gallici, Anglici, Germanici, Gothici, Danici, Suecici, Norwegici, Iſlandici, Finlandici, & alii, quibus curam futuri nominis vel linguæ quiſquis egit. Inter quos variarum linguarum Codices dum verſamur, mirum non eſt, ſi deſuetudine hac vix ſubeant nobis verba Latina argumento paria,

vel certe minus, quam olim, pura. Neque ea propter propriæ linguæ innatam curam in ullo damnanda, qui animo Muſis dedito, etiam plebeculæ inſervire paratus, vel ſacrum DEI verbum ſacraſque cantilenas proponit, vel Leges Municipales divulgat, vel ſalutaria inquilinis remedia ſuggerit, vel res geſtas majorum canit, vel jucundis ſermonibus demulcet, vel denique vulgaria verba dat, ut a vulgo applauſum mereatur. Imprimis gratum eſt ſtudium, quod linguæ patriæ excolendæ impenditur ab illis, qui profuſa erga patriam pietate, bene de publico mereri in laudis parte ponunt. Hinc vel Mileſia pocula propinant, vel in veterum libris transferendis occupati, ſermonis nitore ſtudent cum antiquitate certare. Imo ad Majeſtatem ſpectare Idioma proprium Politici contendunt veterum autoritate fulti, in judiciis, Reſponſis, Inſtrumentis publicis. At qui res ſerias, novaque ingenii inventa privatæ linguæ elegantia circumdant, nihil aliud ea invidia agunt, quanquam maxima agant, niſi ut laborem verſionis relinquant aliis, qui ingenia nationum rem publicam faciunt, ſicque laudem cum pluribus dividant, quam ſoli merentur. Mileſiorum ſcriptores, quorum ingens nunc in Ita-

Italia, Gallia, Germania numerus, verba Lectoribus magnifica vendunt ut verbis proſint, linguamque ſuam papávere & ſeſamo ſparſam aliis commendent, qui in hoc muſtaceo laureolam in aulis Principum & Rerumpublicarum Curiis quærunt. Scilicet ut in Myropoliis, ſic in Bibliothecis & ſalutaria medicamenta proſtant, & nihil & fumus venditur pro cujuſvis arbitrio. Poëſis vulgaris pari laude eminet, qua velut bellariis, opiparas cœnas nuptiarumque feſtivitates claudimus, & nauſeantem jam meliorum rerum ſatietate ſtomachum placamus. Sed parum abeſt, quin de his dicamus, quod ille de luſcinia: Vox eſt, præterea nihil. At verſionibus, quas Eruditi lingua vulgari procurant, vetereſque Hiſtoricos vulgo loquentes faciunt, majori emolumento tempora noſtra partimur. Pauci enim ſunt, qui laudent *Petr. Pauli Vergerii* inſtitutum, quod de induſtria inculto ſermone Arrianum verterit. Cæteri quippe non verbis tantum propriis ad Græci vel Latini Auctoris mentem accedentibus rem ipſam inſinuant, ſed Commentarii vice eſſe poſſunt, lucem obſcurioribus locis fœnerantes. Quo encomio dignus eſt *Ludovicus Aurelianenſis* Gallus & *Scipio Ammiratus* Italus, quorum hic Itali-

cum ille Gallicum Tacitum nobis dedit, ex quo & linguam, qua loquitur Interpres, & ſenſum Auctoris obſcuri, ſine alio Commentatore haurimus. Idem ſentiendum de Danica Senecæ Verſione non ita pridem à Nobiliſſima *Brigitta Tottia* elaborata, & de Heſiodo, quem Danicis Rythmis ad vulgi captum nuper dedit *Henricus Thomas Gerner*, ſed doctioribus quoque inſervituram. Taceo Suetonium magnifica Generoſi *Comitis Holckii* penna tranſlatum. Neque enim, amplitudine argumenti circumſeptus, ad plures me extendo, quoniam id tantum hac pagina ſuſcepi explicandum, ut Auctorum, de quibus ſermo erat, lingua à Lectoribus expenderetur, antequam ad alia mecum deſcenderent.

Hiſce quippe obiter cognitis ad Auctorum Opera propius accedimus, quorum numerus variat ſicut valor. Non ex numero paginarum, nec Codicum Auctores æſtimandos cenſemus, ſed ex operum dignitate, ſive exilium, ſive grandiorum. Pluris enim apud æqui arbitros reputatur folium Sybillæ, quam Annales Voluſi. Magnum librum magnum eſſe malum *Callimachus* Grammaticus apud Athenæum pronunciavit. *Plinius* contra ut alias bonas res, ita bonum librum me-

meliorem judicavit, quo majorem. Sed & in parvo magni errores, & in magno pauca vitia eſſe queunt. Genius victurus utriuſque pondere & diſcrimine examinatur. Reſponſo acuto paucitatem ſuorum verſuum contra Alceſtidem Tragicum Poëtam vindicavit olim *Euripides* : qui cum apud illum quereretur, quod eo triduo non ultra tres verſus maximo impenſo labore deducere potuiſſet, atque is ſe centum perfacile ſcripſiſſe gloriaretur : ſed hoc, inquit, intereſt, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus ſufficiunt. Sunt qui modum neſciant in ſcribendo, alios parcos videas. Hi otio abutuntur, negocio illi. Utriſque temperantia optanda ne in neceſſariis noviſque docendis operæ chartæque parcant, vel in notis luxurient, ex charta in papyrum tranſcribentes. Vaſta volumina vel materiæ ingeniique ſecundi ubertas procudit, vel ſcriptorum avaritia & dicacitas, cum finem verba ſœpe inania &, velut enecans crambe, centies cocta non inveniunt, nec ſatiari marſupium poteſt, quod numero aureorum quaterniones & plagulas metitur, quæ, ut excreſcant, implendæ ſunt corraſis undique ſubſidiis, aliorumque librorum teſtimoniis longis potius & prolixis quam neceſſariis.

ceſſariis. At ſi variæ eruditionis fertile feraxque ingenium intra anguſtias paginarum ſe contineri haud paſſum, per ſuſceptum argumentum latius decurrat, nullo Lectoris periculo fiet, ut ex amphora urceus exeat. Nec legendo fatigabitur curioſus aviduſque doctrinæ animus, nec ſcribendo calamus, qui currente ſtylo opus eruditum per omne ævi tempus plenis gloriæ velis deferet. Cum linea lineam ducat, ſemperque nova ſub manibus materia naſcatur, vel uno Volumine pertexuntur ſuſcepta, vel partitis ſectionibus plurimiſque Tomis abſolvuntur. Diviſa opuſcula in faſciculum conjunguntur, ne pereant, ut Autorum famæ vel poſteri conſulant, vel Lectorum commodo Librarii. Sic *Apollodorus* Athenienſis Epicharmi Comici fabulas in decem tomos coëgit, Andronicus Peripateticus *Ariſtotelis* & *Theophraſti* Opera in Tractatus diſtribuit. Si plurimorum Doctorum Collegiique totius communis Opera ad conficiendum Volumen concurrat, mirari non debemus augeri Bibliothecas numero Librorum & pondere. Collata enim variorum ſtudia efficiunt, ut quæ unus non novit, fortaſſe notit Ofellus. Hac arte creſcunt fertilius Libri, facilius reſpublica promovetur, felicius diſcenda inve-

veniuntur. Hinc natum *Collegium Conimbricenſe* Philoſophicis diſputationibus refertum. Diverſorum Auctorum congeries *Bibliothecam* Patrum condidit, *Conſilia* Eccleſiarum, ingentia Volumina Conſiliorum à *Surio* collecta dedere. Ita Byzantinæ Hiſtoriæ, Rerum Alemanicarum &c. Scriptores juncti prodierunt. Sic ex multis interpretibus, XXVIII. grandia *Volumina Juris* Veneti Librarii anno 84. ſeculi ſuperioris concinnarunt, in quibus pleraque JCti inveniunt, quæ ſparſim alibi fruſtra quæſiverint. Medicorum quoque fautores pluſcula Volumina Medicorum veterum, Auctorum *de Febribus*, *de Balneis*, *de lue Venerea*, *de Morbis Mulierum* conderunt, nuperque de unguento Sympathetico *Noribergenſes*. Ex uno vero calamo à nemine intervulſo vel centum volumina profluxiſſe, id demum ab ignavia & imperitia Auctores eximit. Nam Didymi Grammatici exemplum qui quatuor millia Librorum ſcripſit, nemo poſterorum eſt aſſecutus. Scilicet in nullas ſe dat anguſtias virtus & eruditio, laxum ſpacium deſiderans, expellitque omnia frivola, ut totum pectus ſcriptioni vacet. Notandum tamen in hac Librorum fertilitate, ex uno plerumque alterove labore palmam meritam

Auctori efflorescere, ex reliquis diligentiæ laudem. Sic inter innumera B. *Auguſtini* Opera Libri de Civitate Dei eminent. Coacæ prænotiones ex *Hippocrate* ſeliguntur, & ex *Ariſtotele* Libri de Animalibus, Analytica & Politica. Ex operoſo *Galeni* Catalogo paucos excerpimus reliquis præferendos, de uſu Partium, Locis Affectis, Methodo Medendi, ſimplicium Facultatibus, &c. Ex *Theophraſto Paracelſo* Chirurgiam retinemus. Inter *Liceti* opera ſpontaneum Viventium Ortum, alterumque de iis qui diu vivunt ſine alimentis deprædicamus. Ex opuſculis *M. Aur. Severini* Librum de Abſceſſibus, qui famam ſeni peperit, utiliſſimum judicamus. *Joſephi Scaligeri* de Emendatione temporum, *Petavii* Rationarium Temporum, *Salmaſii* in Solinum exercitationes Plinianas, *Heinſii* Ariſtarchum ſacrum, *Caſauboni* in Baronium exercitationes, *Tychonis Brahei* noſtri Mechanica efferimus, quibus magna iſta ſeculi lumina inclaruerunt, ſi nihil aliud poſteritati ſuæ reliquiſſent. Poſſet per alios quam plures evagari oratio, niſi his indiciis judicium quivis ſuum poſſet ipſe perſequi. Quod ut porro expeditius fiat, ſingulorum Auctorum Opera vel ſparſa, per publicos indices, vel collecta,

per

per quirenda erunt. In Vitis Eruditorum plerumque Opera cuique Auctori ſubjiciuntur, vel in ipſis Voluminibus, quomodo *Plinius* primum naturalis hiſtoriæ Librum implevit. Operoſe ſecundum annorum ſeriem vel alii, vel ipſi Auctores ſua Opuſcula exhibuerunt. Omnium Galeni Operum Synopſin *Lucius Scaranus* confecit, Hippocratis *Lemoſius & Mercurialis. Galenus* ipſe Librum ſcripſit de Libris propriis, aliumque de ordine Librorum ſuorum. *Licetus* quoque integrum Volumen explicavit de ſcriptis ſuis, & qua occaſione ad ſingula ſcribenda devenerit. Ita & *Thomas Campanella.* Catalogum Lucebrationum ſuarum edidit *Thomaſinus*, *Hornius*, per filios *Meurſius* & *Ernſtius*, per Ernſtium *Caſelius*, per Volcamerum & me *Severinus.* Quanquam nos noſtra non delectent cum majorum comparatione, ut tamen operæ exſcribendæ amicis rogantibus parcerem, non ſemel paſſus ſum indicem publicis typis & ipſe & per diſcipulos, Opuſculorum meorum excudi, quæ vel juvenis vel provectior ſed properante calamo, adeoque impolito, poſteritati, ſi quæ futura, conſecravi, non laudis cupidine, quam meritus non ſum, ſed diligentiæ teſtimonio, & publi-

cum juvandi ſollicitudine. Ab arbore enim nemo expectat fructus, ſed exigit:

Nec ego Te meis
Chartis inornatam ſileri,
Totve tuos patiar labores
Impune, Pallas, carpere lividas
Obliviones.

TH. BARTHOLINI
DISSERTATIO IV.
DE
LEGENDIS LIBRIS.

De materia Librorum vett. Lapidibus & ſaxis, foliis arborum & herbarum, ligno & corticibus, cera in pugillaribus, plumbo & ære. Lintei privatorum. Membranæ uſus ab Eumene inventus, charta ſuccedente, etiam ante Alexandri tempora. Hujus hodie varietas. Librariorum vett. in deſcribendis Libris opera. Inſtrumenta ſcriptoria. Styli figura. Quid nigra litera Martiali. Calamus arundineus Celſi. Literarum Romanarum diverſitas, a Longobardis corruptarum. De Manuſcriptorum antiquitate & valore judicium. Codices Danici,

Gothici, Iſlandici. Typographiæ natales & incrementa. Editionum meliorum notæ, quæ primæ, vel notis auctiores, viventibus auctoribus. Typographi correctiores. Biblia in membranis. Forma Librorum magna ad pompam, parva ad commoditatem. Volumina antiquorum qualia. Tabellæ complicatæ. Libri pumice lævigati, ornati coronide. Luxus in involucris Recentiorum.

SIngulorum Librorum, quos docti Auctores ex penu eruditionis ſuæ depromſerunt, editiones ad examen vocandæ, ne in his labatur Lector ſi vel priorem vel malo ſidere editam pro poſtrema & correcta eligat. In hoc enim magna cautione opus eſt, cum editiones, quas præſens Auctor procuravit, aliis præferri debeant, quæ vel inſcio Auctore vel abſente, alibi Bibliopolarum avaritia vel legentium deſiderio prodeunt, & poſteriores curæ ab ipſis Auctoribus ſuſceptæ primas emendent deſerantque. Ut diſtinctius in hoc paragrapho

ragrapho progrediar, diſtinguenda nobis erunt tempora librorum. Alii manu ſcripti priſca ſecula indicant, poſteriora typis expreſſi. Antiquiſſimi Libri à noſtris diverſam & materiam & formam habuerunt, ſive ut apertius loquar, alia fuit materia in qua ſcripti ſunt characteres literarum, aliud inſtrumentum cujus auxilio ſcribebantur, alius modus, alia ratio omnium. In uno tamen veterum modus, licet inter ſe diverſus, conveniebat, quod manus ſemper opera fuerit adhibita immediatè. Noſtri manu quidem utuntur, ſed intermediis typis, qui calami vice funguntur. Materiam primam Librorum lapides præbuere, quibus ipſe Jehovah legem ſuam inſcripſit. Sethi filii, quæ invenerunt, in columnis duabus inſcripſerunt, altera ex lateribus, ex lapidibus altera, ut ab imbribus eſſent ſecura. Babylonii iſtorum forſan exemplo, & Phœnices, coctilibus laterculis mores, leges & inſtituta conſcripta tradiderunt. In marmoribus Saxisque Romani notas publicas, & quæ ſcire poſteritatem voluerunt, inciderunt. Noſtri Dani antiquiſſimi cautibus geſta majorum, poſteriores ſaxis literas Runicas impreſſerunt, quarum hodieque paſſim veſtigia exſtant in Cœmiterio, quod Bibliothecam Academicam ambit

ambit conſpicua, ex tumulis ſuis hinc inde collecta, cum monumentis *Olai Wormii*, noſtri dum vixit Patris & Præceptoris, etiam poſt fata colendi, perennatura. Quo ſuaſore ad hunc locum commodum transferri curavit Auguſtiſſimus Rex Divus *Fridericus tertius*, ut ab imbribus & edace tempore immunia de antiquitate ſua teſtarentur, & diverſum ſcripturæ genus conſervarent, ab illo quo Bibliothecam videmus libros ſuos oſtentare, ſed nitidiores. An magis diuturnos, poſteritatis teſtimonio conſtabit. Illa ſi ab impluvio removeantur, ad finem mundi inſculptas literas ſervare apta videntur, & à teredinibus ſecura. Cæterum flammis omnia patent, tam iſta quam hæc, quas Deus ſtator hujus Baſilicæ clementer averruncet. Quid à flammis ſaxa pati poſſint, meo periculo didici. Cum conflagraret aula mea *Hageſtadana*, cujus acerba adhuc memoria, ingentia ſaxa quadrata fundamentis ſuppoſita, vi flammarum diſſiluére ut per lamellas conciderent. Ipſæ quoque tabulæ æneæ XII. *Tabularum* paſſæ injuriam apud Romanos. Nam literæ liquefactæ memorantur Coſſ. M. Cæſone & C. Antonio. Succeſſerunt lapidibus folia arborum, palmarum, malvarum, oleæ, quibus etiam nunc Indi utuntur. Florum

rum folia, quibus nomina inſcripta leguntur, amantium erant vel augurum ludus, elegantiorumque puellarum, quæ nitidiſſimis manibus flores ex floribus conficiunt. At libri arborum, ſeu cortices interiores, pro foliis placuerunt, unde librorum nomen hodieque ſervatum, ſicut & foliorum, licet uſus deſierit. Apud Indos, teſte *Q. Curtio,* libri arborum teneri, haud ſecus quam ceræ, literarum notas capiunt. In Tilia *Dictys Cretenſis* Hiſtoria Trojana Scripta memoratur Q. *Septimio.* Tiliam, Philyram, & papyrum *Ulpianus* JCtus nominat. Sed & fagi meminit *Virgilius*, ejuſque viridis :

——— *In viridi nuper quæ cortice fagi*
Carmini deſcripſi ——— ———

Exipſo præterea ligno, magis ut creditum duraturo Codicilli dolati, ex quo Codex Evangelii *S. Mathæi* Ebraicè ſcripti inventus fertur in monumento Barnabæ, Dani noſtri ſua Calendaria In ligneo aſſere conſueverunt olim deſignare, cujus in Muſæo noſtro exemplar ſervamus. Antiquior Othinus apud *Saxonem* cortice carminibus adnotato Hotheri Regis filiam, lymphanti ſimilem reddidit. Exinde addita cera nati pugillares cerei dicti, in quibus deleri poterant & corrigi ea quæ deinde in pergame-

nis reſcribi debebant, item citrei, eburnei, membranei, & ex lapide ſciſſili, quorum hodie mercatoribus & peregrinantibus uſus probatur. Plumbeis voluminibus ſeu laminis monumenta publica confici Romæ cæpta ſunt, quorum etiam mentio occurrit apud *Jobum*, Ære demum perenniore, cujus in Capitolio Romano hodieque veſtigia ſuperſunt, noſtris Cælatoribus perfamiliari. Tabulæ XII. Legum æri inciſæ fuere, quanquam alii eboreas velint. Tandem & linteis privata monumenta confecta *Plinius* auctor eſt, quorum Librorum linteorum in Hiſtoriis Romanis paſſim fit mentio. Sed membranæ pecudum membris deglubitæ & detractæ commodiſſimæ ſunt viſæ quibus res quævis inſcriberentur. Pelles vocantur *Martiali*, quibus *Homerum* & *Livium* condi & arctari canit. Harum cum magnam copiam, inopiâ chartæ, Pergami Eumenes confici juſſiſſet, ipſe Eumenes Rex eas inveniſſe creditur *Varroni* & *Plinio*, cum, ut recte explicat *Hermannus Hugo*, longè ante inventæ fuerint membranæ, quippe membranaceos libros antiquiſſimos ab *Eleazaro* pontifice Judæorum ad *Ptolomæum Philadelphum* miſſos tradidit *Joſephus*. A Pergamo tamen nomen accepêre membranæ, adhuc vulgo ſer-

ſervatum: Denique charta Alexandri Magni victoria reperta, conditâ in Ægypto Alexandria, omnium votis ſatisfecit, quibus res Literaria cordi fuit, quanquam contra *Varronem Pliniumque Guilandinus*, literatiſſimus Patavii Medicus & herbarum peritia celebris, evincat longè ante Alexandri tempora chartam ex Papyro fuiſſe confectam, de qua controverſia judicent in hac palæſtra antiquaria magis exercitati. Superſunt etiam nunc pluſcula volumina antiquorum in membrana craſſa pariter & tenui ex agnellis vel eorum ſecundinis, uti & in charta varia ſcripta in Bibliothecis publicis Italiæ, Patavii, Venetiis, Florentiæ, Romæ, & in privatis Eruditorum, nec in noſtra deſiderantur. In membranis ſe ſtrenuè exercuerunt ſcribæ in Monaſteriis Eccleſiæ occidentalis ante Typographiam inventam, deſcribentes Auctores ſacros profanoſque pluribus exemplaribus tandem multiplicatos, ſed pro vario ſcribarum captu vel nitida manu vel intricata & vitioſa, unde tot natæ Criticorum diſſenſiones & Lectionum varietates, quæ crucem eruditis Philologis figunt. Aureo Romanorum ſeculo pluribus quoque exemplis Libri, quorum aliquod pretium, deſcribi ſolebant. Id de ſuis carminibus *Naſo* teſtatur:

Quæ quoniam non ſunt penitus ſublata, ſe[...]
exſtant.
Pluribus exemplis ſcripta fuiſſe reor.

M. Claud. Tacitus Imperator juſſit quotanni[s] aliquot exemplaria *Taciti* deſcribi, quo a[b] omnibus legi poſſet, ſicut prodidit *Flor[.]* *Vopiſcus*. Servorum literatorum ad id præcipuè opera utebantur, qui idcirco Librarii vocabantur, quales plurimos in familiis ſuis alebant. Nam Autorum propria manu exarati Codices ad noſtram ætatem non pervenerunt, niſi quod de Manuſcripto quodam *Paulino* fama ſit, ſed ea dubia. At Græcorum Volumina vario charactere & charta pene ſola fuere ſcripta, qualia complura & poſſideo & in Bibliothecis Italiæ vidi, præſertim Venetiis, quæ ſecum ex Græcia attulerat *Cardinalis Grimanus*. Charta fere omnis illorum bombycina & glabra. Sinenſibus ex Serico. Perſis Arabibuſque ex byſſo quoque nitet, ſicut ex Arabico codice & Japponico, qui in Bibliotheca publica ſervatur, videre eſt. Europæis noſtris detritæ linteorum quiſquiliæ chartas componunt, in molis ſubactæ & alumine firmatæ, pro quarum nobilitate, & craſſitie linorum, modo charta Regia vel poſta-

poſtarum elegantiſſima conficitur, modo Emporetica viliſſima, ad thus & piper verius quam libros condemnanda. Operæ compendium fecit *Petrarcha*, qui in veſte pelliсea ſcripſiſſe dicitur. Inſtrumenta quibus veteres uſos in ſcribendo conſtat, ſtylum, pennam & calamum præcipuè complectuntur. Stylis ferreis in ſaxis, lignis, ære, plumbo ſcribebatur, & in pugillaribus cera oblitis. Hinc ſtyli ferrei una parte acuti, altera lati, ut illa literæ formentur ac deleantur. Unde Latinis vertere ſtilum pro delere uſurpatur. Talem ſtylum ex armario *Pignorii* apud *Rhodium* noſtrum vidiſſe me memini, nec abſimili figura ex Muſæo *Hopperi* depingit *Hugo*, in literariis his Antiquitatibus doctus, ſed ſpicilegium aliis relinquens. Hos ſtylos in armario quodam, quod graphiarium vocabant, librarios pueros recondidiſſe ex *Martiale* conjicimus, quanquam alii graphiarium pro ipſo ſtylo ferreo interpretentur. In pugillaribus vero eburneis, nulla cera nigra triſtive incruſtatis, carbone uſos ſuſpicor, ut nigra litera pingeretur, de qua *Bilbilicus* alibi ita loquitur:

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ.
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

Sed chartis calamos dabant arundineos, quos ea propter *Celſus* & *Scribonius* ſcriptorios vocant, & *Dioſcorides* ad βιβλιογραφίαν accommodatos tradit, & tandem avium pennas illis minores, crena extremitatis inciſa, ex qua liquor ſtillat literas efformans, ſive atramentum nigræque loliginis ſuccus, ſive minium aut muricis ſuccus, illud vulgaribus hic Imperatoriis Libellis & Edictis, vel titulis, qui adhuc Rubricæ nomen retinent, vel univerſim ſcribendis advocari ſolitus. Ita quiſque ſuo modo ſuiſque characteribus Libros olim conſcripſit. Latini & Græci à ſiniſtra ad dextram ductis lineis, Ebræi contra & Arabes cæterique Orientales à dextra ad ſiniſtram progrediebantur, manumque ſcribentis ducebant, nam aliarum gentium varios ſcribendi modos ſurſum deorſumque non tangam, quorum Librorum apud nos rarior uſus eſt. Characteribus quoque diverſis ſinguli ſuum penſum librarium abſolvebant. Romani literas quadratas ſeu Unciales amabant, quibus Inſcriptiones adhuc quam plurimæ leguntur & Librorum veterum principia, quas decurtarunt & depravarunt barbari,

bari, unde novo minutoque ſcribendi genere poſt barbarorum irruptiones ſuccedente, impediti illi variiſque abbreviaturis, & vel ignorantia linguæ purioris vel nimia feſtinatione corrupti libri poſt Conſtantini Magni ætatem, & deinde Carolo Magno imperante in Monaſteriis Chriſtianorum bibliothecas implerunt Longobardicis literis, pluteoſque onerarunt verius quam ornarunt. Elegantior ſcribendi per capitales literas modus καλλιγραφία dicta eſt. Huic oppoſita ταχυγραφία, vulgaris ſcriptio privatorum. Talia inſtrumenta literarum publicarum compoſita a tabellione ætate Juſtiniani vidit Cl. *Salmaſius*, uno quaſi ductu continentur exarata, quæ vix legi poſſunt, longis & complicatis characteribus, quos latinos eſſe nemo diceret. Vidit etiam tabulas privati alicujus ceratas antiquiſſimas, Romano ſermone & minutiſſimo charactere Romano ſcriptas, ſed tantum differenti a κεκαλλιγραφημένῳ, ut Armenius potius videatur, aut Georgianus quam Latinus. Tali ſcriptura minuta & intricata in membranis Macrum habui dono Cl. *Holſtenii*, quem mihi non ita pridem Vulcanus ſurripuit. Et B. *Hieronymi* Verſio Bibliorum Latina in tenuiſſimis membranis eo ſcribendi modo in Bibliotheca publica ſervatur.

vatur. Hincque de ætate & pretio Librorum Manuſcriptorum judicium ferri poteſt, cum pro vetuſtiſſimis & carioribus cenſendi ſint, qui literis majuſculis minuſque negotii oculis legentium faceſſentibus ſcripti ſunt, quorum nonnulli paſſim in Bibliothecis integri cuſtodiuntur. Quo in numero referimus *Livii* membranas elegantes in Muſæo *Rhodii*, & *Pandectas Juſtinianeas* in Techniotheca Florentina theſauri inſtar curioſis patentes. Correctiores autem cenſendi ſunt Codices quo antiquiores, quippe qui correctorum curioſorum vel indoctorum manus effugerunt. Hinc Arato quærenti, ubi locorum haberetur Iliadis piſticæ copia, Timon Timarchi filius dicitur reſpondiſſe, quærendam eſſe in exemplaribus antiquis, ſed nondum correctis. Non contenti corrigere, plura ſœpe addebant, quam omittebant, ſicut docte probat *Gronovius.* Codices Ebræorum antiqui, inprimis ſacroſancta *Biblia* majuſculis literis exarata extant. Sed Rabbini poſteriores feſtinantibus characteribus & quaſi mutilis ſua inſomnia vel commenta tradiderunt. Arabum autem Perſarumque nitidiſſima ſcriptura, inſigni manuum varietate, omnes lectores afficit, quam aſſidua ſcribendi conſuetudine hodieque perficiunt

ficiunt in Alcorano, in Poëtis ſuis, Philoſophis & Hiſtoriis, ſiquidem ſquallorem typographorum averſantur. In Græcorum Volu minibus parvam characterum differentiam invenias, niſi quod poſteriora abbreviaturis ſe prodant, & ſermonis corruptela. Ferè enim ſemper minuto ſcribendi genere uſos videas Græcos ſcribaces, ut celerius prompta manu dicacitatem ſuam chartæ illinerent, niſi quod *Dioſcoridem* litera majuſcula deſcriptum Conſtantinopoli viderit *Buſbequius.* Numero Voluminum Romanos vicerunt, quibus armis cedere coacti ſunt. Inprimis Imperio ad Conſtantinopolitanos devoluto, ferax fuit Græculorum calamus. Sed dum ſtrenue ingenio vacabant, & monumentis literarum ad poſteritatem tranſmittendis, libertati illorum inſidiati primo Romani, deinde Saraceni, contra eos pugnarunt ſtrenue. Hinc ingentia & numero & mole Volumina Græcorum ſepia Bibliothecis reliquit, quæ Europa curioſæ antiquitatis reverentiâ ſervat, cum pauciora Romanorum Arabumque monumenta, eaque ex Græcis plerumque deſumpta, ſuperſint, fortiter agere quam multa ſcribere laborantium. *Scaligeri* judicio Græcorum libri paulo ante vel poſt everſionem Imperii Conſtantinopolitani Literis Græcis conſcripti. Illos

characteres primi omnium Chriſtianorum Hiſpani, à Mauris, ab Hiſpanis Latini Chriſtiani, ab illis Græci acceperunt, vulgo nunquam apud Græcos notos. In ſeptentrione noſtro ſerius librorum ſcribendorum ratio invaluit, Chriſtianæ fidei introductæ felix fructus, cum olim Codicum uſum à cautibus mutuarentur. Danorum enim antiquiores, majorum acta patrii ſermonis carminibus vulgatæ linguæ ſuæ literis, ſaxis ac rupibus inſculpſerunt, & *Scaldris* ſuis, ſeu *Runis*, Poëtis excellentiſſimis floruerunt, quorum veſtigiis *Andreas Sunonis* & *Saxo Grammaticus* inhærentes, Hiſtoriam Danicam undecimi ſeculi pertexuerunt, quorum hic ex Archivis Manuſcriptis *Burgeri* Archiepiſcopi Lundenſis, opera *Chriſtiani Petræi* typis Badii Aſcenſii primum Pariſiis prodiit A. C. 1514. ille ex Bibliotheca noſtra Hafnienſi non ita pridem per *Aephanium* editus, cujus etiam *Sunonis* beneficio Leges Scaniæ in latinam linguam tranſlatas habemus, Hafniæ poſtea typis exſcriptas A. C. 1590. Literis autem uſi ſunt Dani Chriſtiani veteres propriis Runicis, quadratis ad Romanorum morem, quorum fidem ſuſceperant, quæ in Saxis adhuc conſpiciuntur, in Codicibus nonnullis, quos patriæ ſuæ vindicavit *Olaus Worm*, patriæ lu-

lumen & ornamentum immortale, in nummis aureis & toreumatis. Deinde obliteratæ illæ, in monumentis ferè ſolis adhibitæ, Gothicis vel barbaris characteribus locum fecerunt. Nec Tylenſium ſeu Iſlandorum noſtrorum diligentia ſilentio obliteranda, qui & aliarum nationum res geſtas libris à ſe ſua lingua ſcriptis ad poſteros miſerunt, & propria Norwegorumque facta & Mythologias varias monumentis manu exaratis conſignarunt. Ex illis *Saxo* operis ſui hiſtorici partem contexuit, tales arbitros habere cupiens, quos tanta vetuſtatis peritia callere cognoverat. Hæc etiam nunc manibus curioſorum volvuntur, magnaque illorum ſupellex ad beatum *Wormium* venit, *Elichmanno* ceſſit, fumoſos iſtos Libros inter Bibliothecæ theſauros numeranti, & ad Auguſtiſſimum Regem *Fridericum Tertium* miſſa, & per Interpretes ſuos Iſlandos conquiſita. Inter cætera eminet *Edda* Iſlandorum, ſeu Mythologia, veteri lingua Iſlandica a *Snorrone Aurlæſonio*, Nomophylace Iſlandiæ circa annum Chriſti 1215. conſcripta, quam poſt tot Manuſcriptorum concertationes, tandem cum Latina verſione publicis typis exhibuit patriarum Antiquitatum amantiſſimus *Petrus Reſenius*, Academiæ noſtræ Profeſſor, & Regiæ urbis præſes. Nolo ad

Libros in Norwegia Olim ſcriptos me diffundere, nec vicinæ Sueciæ monumenta, quæ ſenſim à ſitu & pulvere extrahuntur, nec utriuſque Regni ſcriptas Leges advocabo, quia typis jam publicis leguntur. Jus Aulæ Norwegiæ antiquiſſimum quod Hirskgraa vocant, *Dolmero* interprete & Gloſſatore proſtat. *Canuti* ſecundi Jus aulæ Danicum, Vietherlags Roett dictum, A. C. 1035 conditum, ex Bibliotheca Magni *Olai Wormii* nuperrime cum Verſionibus & Notis publico vindicavit laudatus *P. Reſenius*. Danorum Leges vetuſtiſſimæ à Frothone Tertio promulgatæ, ſine dubio etiam literis fuerunt traditæ, ut perennarent ad poſteros, ſicut *Waldemari Primi* Lex ſcaniæ A. C. 1158. ejuſdemque leges Selandicæ, A. C. 1171. promulgatæ, & *Waldemari Secundi* Codex Juris Cimbrici A. C. 1240. conſcriptus inter membranas chartaſque varias multorumque deſcribentium manus perennarunt, donec non ſemel typis Hafnienſibus exſcriberentur, hic quidem primo apud Gotfridum de Gehmen A. C. 1508. cum Notis & ſummariis *Thordonis Legiferi*, deinde cum Receſſibus A. 1590. & 1643. *Erici Glippingi* Leges municipales, vulgo Birckerætt A. C. 1269. ad nos quoque illibatæ pervenerunt. De Gothi-

thicis Manuſcriptis ne verbum addam, nec Anglo ſaxonicis, nam illorum guſtum dedit *B. Vulcanius*, horum *Spelmannus.* Tacere interim non poſſum *Ulfilæ* Gothorum olim in Mœſia ſeu Wallachia Epiſcopi Verſionem Novi Teſtamenti Gothicam, quam bono publico ex Manuſcripto, quod tamdiu delituerat, protractam, auſpiciis Illuſtriſſimi Comitis *Magni Gabrielis de la Gardie*, Cancellarii Regni ſueciæ, & fautoris Literarum, in orbem ire juſſit nobilis Antiquitatis patriæ promotor *Stiernhielmius*, cujus verſionem latinam antea dederat in Belgio *Fr. Junius* Junior. Scilicet hoc artis Typographiæ eſt beneficium, ut ſine operoſo manuum labore pluribus commune fiat quicquid vel pietas vel eruditio meliorum ingeniorum parturit. Seculo quarto decimo hujus inventi nativitas celebratur, quo nihil utilius mortalibus DEUS, omnium bonorum auctor, indulſit, quanquam artem typographicam à quinque retro ſeculis, imo ante natum in carne Servatorem, à Sinenſibus uſu receptam aliqui propugnent. Attamen in Europa innotuit primum Harlemenſi civi *Laurentio Joannis* Ædituo ex H. *Junii*, *Scriverii* & *Boxhornii* narratione, A. C. 1411. Is quippe forte in ſuburbano nemore ſpatiatus, cœpit

faginos cortices principio in literarum typos conformare, quibus inverſa ratione ſigillatim chartæ impreſſis, verſiculum unum atque alterum animi gratia ducebat, nepotibus exemplo futurum. Quod ubi feliciter ſucceſſerat, cœpit animo altiora agitare, primumque omnium atramenti ſcriptorii genus glutinoſius tenaciuſque, quia vulgare lituras trahere experiretur, cum genero ſuo *Thoma Petro* excogitavit; inde etiam pinaces totas figuratas additis characteribus expreſſit, quo in genere excudit adverſaria, operarum rudimentum, paginis ſolum adverſis, haud opiſtographis. Is liber erat vernaculo ſermone, ab auctore conſcriptus Anonymo, de ſpeculo noſtræ ſalutis. Poſtea faginas formas plumbeis mutavit, has deinceps ſtanneas fecit, quo ſolidior eſſet & durabilior materia. Inter operarios domeſticos *Joannes Fauſtus* artem hanc jungendorúm characterum fuſilium & typorum peritiam edoctus, clam inſalutato hero Coloniam Agrippinam ſe ſubduxit, mox Moguntiam, ubi inciſæ tabulæ, qua Harlemi *Donatus* fuerat excuſus, exemplo artem hanc perfecit *Joannes Guttenberg*, Argentinâ oriundus, primumque iisdem Laurentianis typis 1442. in lucem edidit *Alexandri Galli* Doctrinale, cum *Petri Hi-*
ſpa-

ſpani Tractatibus, deinde ulterius artis ſubtilitate progreſſus A. C. 1450. *Biblia Latina* grandiori ſcriptura, quali Miſſalia ſolent imprimi, typis divulgavit, quale exemplum in Regia noſtra Bibliotheca cernitur Coloniæ impreſſum. A *Conrado* deinde quodam Germano 1458. aliis 1460. Romam tranſlata ars nova Libros *Auguſtini* de Civitate Dei & *Lactantii* Inſtitutiones excudit A. C. 1465. à *Sixto Ruſſinger* Argentinate Neapolin advecta Venetiis ab *Aldo* ſeniore illuſtrior reddita, & tandem à *Nicolao* Jenſon, gallo, in Galliam Venetiis fuit adſportata. Ita propagata fuit ars Divina, quæ ſcribendi compendium facit, operoſumque ſcribarum ſtudium ingenti onere ſublevavit, certatim jam conantibus Typographis, ut Auctorum diligentiam æquent, nec ſibi tantum ſed & publico proſpiciant. In infantia tamen rudes literæ, & ad Longobardorum Monachorumque exemplaria effictæ, Lectores remorantur, quas ſenſim expoliverunt curioſi Typothetæ, ut ad illarum nitorem nihil addi poſſe amplius videatur. Sublato igitur laborioſo ſcribarum faſtidio, variæ per typos procuratæ Librorum editiones, etiam illorum qui clauſtris cateniſque Cœnobiorum conſtricti in publicum nunquam eſſent eluctati,

niſi

niſi mortalium felicitati & curioſæ cupiditat[i] nova arte Superi conſuluiſſent. Cumque a primis artis hujus incunabulis, excreverit Librorum cumulus, & vel avaritia mercatorum vel auctorum celebritas varias editiones ejuſdem Libri ſœpe incude repetita fatigati orbi dederit, operæ pretium me exiſtimavi facturum, ſi meliorum editionum notas inveſtigarem. In omni hac materia libraria principe cura advertendum eſt ad Libri typis editi formam ſeu magnitudinem, typorum elegantiam, chartæ nitorem, typographum, locum & annum editionis, quibus notis univerſum de hoc negotio judicium abſolvitur. De ſingulis, chartæ temporiſque parci, erimus breviſſimi, ad alia anhelantes. Sed à poſtremis ad prima progrediemur. Æra plerumque addita, vel in fine vel in fronte, de ætate Libri & Auctoris teſtatur, ſcitu neceſſaria. Editiones Auctorum quæ ad natales Typographiæ quam proxime accedunt, typorum ruditatem auctoritate compenſant. Pares enim habentur apud criticos codicibus manuſcriptis, ex quibus proxime ſunt depromptæ. Ita *Plinius* Romæ 1470. vel Parmæ A. C. 1476. apud Stephanum Corallum, vel circa ea tempora Venetiis impreſſus, & *Celſus* Florentiæ 1478. editus cum

Co-

Codicibus Manuſcriptis certant, ad quos velut ad manu exarata exemplaria provocare licet, ſi de fide lectionis alicujus dubitetur. Poſteriores Editiones, ad normam primarum expreſſæ, pedetentim à bonitate deficiunt, niſi critica manu vel emendentur vel conſerventur. Quibus idcirco pretium accedit, quod cum pluribus Manuſcriptis collatæ, Auctoris ſenſum melius aſſequantur; plerumque aliqua laudabili acceſſione commendentur, qua emtores alliciuntur, commentariis nempe Virorum Doctorum, Notis, Indicibus & aliis additamentis pretioſiſque laciniis eleganti purpuræ aſſutis. Exemplo nobis ſint *Biblia* ſplendidiſſima, & viliſſimus *Petronius*, ne pluribus rem notam illuſtrem. *Biblia Polyglotta Waltoni*, quæ nuper Anglia excudit aucta variis verſionibus & Criticis Commentariis præferuntur Bibliis Regiis *Pariſienſibus*, quæ tamen Samaritana & Arabica verſione auctiora ſunt Bibliis Regiis *Antwerpienſibus Montani*, & hæc *Bombergenſibus*, vel *Complutenſibus*. *Petronius*, nequitiæ magiſter, notis variorum nuper in Belgio illuſtratus reliquas editiones poſt ſe relinquit, novo ſupplemento ſuperbiens non ita pridem Traguri invento. Corpus Juris Civilis *Dionyſii Gothofredi* Notis breviſſimis

M ſed

ſed nervoſis illuſtratum ampliſſimis veterum Juris conſultorum *Gloſſis* præferimus, illudque quod JCti Batavi his annis eleganti typo & charta procurarunt. *Galeni* noſtri opera Latina apud Juntas ſœpius quidem ſunt recuſa, ſed nona editio perfectiſſima. Nam prima Lugdunenſis apud Colinæum 1536. mutila eſt, novis, hinc inde repertis, poſtremæ Juntarum editioni ad complementum egregii Operis additis. Niſi *Charterius* Pariſienſis & *Hofmannus* Altorfinus expectationem noſtram fruſtraſſent, Græco-Latinam editionem omnibus numeris perfectam haberemus, nec reliqua eſt ſpes, niſi clariſſimus *Volcamerus*, penes quem Galenus Hofmanni latet, eam impleat. *Veſalii* Anatome A. C. 1555. Baſileæ edita primam laudem meretur iconibus, charta aliiſque optimæ editionis notis conſpicua. Et ſic de cæteris. Æra nos quoque ad Auctoris ætatem manuducit. His quippe ſuperſtitibus, emendatiores libri prodeunt, & opera auctorem præſentem clarius indicant. Et in univerſum poſtremis vitæ annis editi libri pro perfectiſſimis cenſentur, poſterioribus cogitationibus ad limam redacti. Præſentia Auctorum quantum momenti conferat ad libros emendate legendos, meo exemplo teſtari poſſum.

poſſum. Sed mea parcius tango, ne hac ſcena digniores perſonæ excludantur. Opera diligentiſſimi *Sennerti* Wittebergæ 1628. & ſequentibus Auctore ipſo inter vivos ſuperſtite & præſente, legi debent ab Artis Tyronibus, niſi in doſibus medicamentorum aberrare velint, magno famæ & ſalutis damno. Nam quæ Lugduni, Venetiis & Pariſiis prælum ſubierunt, innumeris erroribus Typographicis referta ſpem medentium deſtituunt. Ne de noſtris ſileamus, conquerentes Manes Witfeldianos video, quod defuncto patriæ Hiſtorico *Arnoldo Witfeldio* opera ejus in majori forma ſed majoribus erroribus Sententia, & non uno loco mutila Typographi Hafnienſes A. C. 1652. deproperaverint, cum emendatiora ille ipſe ſuperſtes Hafnienſi prælo minori reliquerit. Conqueſtum & *Parentem noſtrum* beatum memini, quod Argentoratenſes non malo animo ſed incauti Phyſicam ejus nomine ediderint, ex ſcriptis propriis & aliorum compilatam. Denique, ne longior ſim, *Brochmanni*, optimè de publico & Bibliotheca noſtra meriti, Syſtema Theologicum Auctore præſente & operas corrigente Hafniæ 1633. ex prælo emergens pro legitimo reputatur, quicquid & Lipſienſes & Ulmenſes pro ſua editione

pugnent. Pauca ex multis libo. Quis modus foret, ſi omnia perſequerer, inprimis quæ de Editionibus Patrum Eccleſiæ veteris dici poſſent, an Baſilienſes, vel ſequentes alibi divulgatæ, quas pro caſtratis nonnulli traducunt, pro ſinceris æſtimandæ. Rem nec mei arbitrii nec cenſuræ illis relinquo decidendam, qui in hoc pulvere ætatem triverunt, de *Hippocrate* Medico unum addidiſſe contentus, nec primam Editionem Græcam Venetam 1526. approbari, quia manca, nec primam Latinam Romanam *Calvi* 1549. quia in ſenſu deficit, nec primam Græco-Latinam *Mercurialis* Venetam 1588. licet novo ordine digeſtam, quia in numerum Interpretum male ille ſe ingeſſit judicio *Caſtrenſis*, nec ultimam *Lindani* Leidenſem 1663. licet nitidiſſimam, quia ingenio ſuo abuſus in textu emendando audacius, ſicut in *Celſo*, verſatus eſt Vir ille multiſcius; ſed mediam in Latinis *Cornarii*, in utraque lingua *Foëſii* à Wechelio 1595. cum variis ad autorem lectionibus expreſſam, Medicis commendari. Verborum faciam compendium. Primæ veterum Auctorum editiones legitimæ ſunt, ſed non integræ ſemper, poſteriores ſemper auctiores, ſed ab interpretibus eruditioribuſque mutuantur lu-

men

men quod prioribus præferant. Adhæc locus editionis commendat Libros. Ubi ſcilicet correctiſſima præla doctis Correctoribus foventur, qualia priori ſeculo Veneti habuerunt, Baſilienſes, Lipſienſes, Lugdunenſes, Pariſienſes, Antwerpiani. Noſtrum ſeculum ubique torcularia Typographorum alit. Sed ſunt bona mixta malis. Mel alia ſudant, alia venena. Quæ cum Gallis, Anglis, Belgis conferri hodie poſſint, nulla ſunt. Genevenſium editiones omnium peſſimæ. Rari quidem libri in Hiſpania, Italia, Sicilia cuduntur, ſed, quia ſub cenſura prodeunt, plerumque rari & docti. Alibi ſcribunt indocti doctique poëmata, ubicunque libera ſunt præla, niſi famæ ſuæ Typographi & religioni conſulant. Hinc de Typographis ſollicitos nos eſſe par eſt, quos peritiſſimos prius ſeculum tulit, noſtrum ſubinde negligentiores. Illos, ut creaturam agnoſcant ſuam, in Librorum frontiſpicio vel calce videmus lucem non fugere. Ab eorum peritia vel negligentia Librorum fata Auctorumque dependent. Hi laudem cum Auctoribus æqualem trahunt, & in famæ participationem admitti volunt. Ita de *Operino* doctiſſimo Typographo Baſilienſe luſit *Encomiaſtes*:

Tu famam libris, vitam ſcriptoribus addis:
Pars tibi mercedis ſic ab utroque venit.

Sœpe tamen vitiis ſuis bonos auctores commaculant, indigni qui publice legantur, aut per orbem ferantur, fumis potius addicti, cauponis, ganeis, ſordido lucro, famam typis ſuis conciliantes ſcriptoribus, ſed propriam amittentes. Obſcura hæc ſordidaque nomina Correctores cum erroribus recte expungerent, & ex libris ſpongia acri extergerent. At Typographos doctos, ſobrios, diligentes quis libris invideat, quibus inclareſcant? Inter hos *Aldus* Venetiis, Baſileæ *Frobenius* & *Operinus*, Lutetiæ *Henricus Stephanus*, Fed. *Morellus*, Antwerpiæ *Plantinus*, Leidæ *Raphelengius*, doctrinæ gloria & artis Typographicæ exercitio de Auctoribus à ſe editis, emendatis & caſtigatis, præclarè meriti numerantur. Quorum nomina, cum editionibus bonorum Librorum præfixa vides, de illarum pretio noli dubitare aliis præferendo. Fuere quippe eruditiſſimi omnes & Græcis Literis & Latinis, & ſcriptorum veterum literate periti. In typorum elegantia chartæque nitore paria cum illis faciunt *Juntæ* Veneti, Lugdunenſes *Gryphii*, *Rovillii*, Pariſienſes *Cramoſii*, Leidenſes

El-

Elzevirii & Hackii, Noribergenſes *Enteri*, *Stellæ* Luneburgenſes, ut alios quam plures omittam, qui illuſtrem artem exornarunt, quorum ea propter præla immortalitate donantur. Typorum varietate incredibili & elegantia oculos legentium oblectant, & ad amorem Librorum alliciunt, chartæ Regiæ & ſubtilis & candidæ nitore veterum nonnullorum craſſa folia emendant, quibus *Decretalium Libri*, *Avicennæ* Commentatores & alii cum typorum barbarie & ruditate colluctantes arcent Lectores, manuſque fatigant. Membranæ enim uſus apud Typographos, tanquam minus commodus, obſolevit, in Manuſcriptis olim profuſæ, niſi quod in Bibliotheca hac publica, dono divi *Chriſtiani IV*. *Biblia* Germanica *Lutheri* in pergameno impreſſa monſtrentur. Magnifico Operi nunquam ſatis digna forma aptatur. *Homeri* Opera Draconis inteſtinis inauratis inſcripta veterum quidam memorant. Sed Sacroſancta *Biblia* omnem mortalium Majeſtatem ſuperant & ornatum, cordibus noſtris inſcribi digniſſima. Formam aliorum Librorum ſeu magnitudinem, materiæ ubertas, conditio Auctorum & Librariorum, & uſus particularis determinat. Vaſtam paginarum extenſionem Geographicæ Tabulæ in

At-

Atlantibus vulgo dictis exigunt. Qua formæ amplitudine nos *Anatomen Auguſtam* olim exorſi eramus. Majoribus Voluminibus, ſeu folio majori, Lecturæ *Nicolai Abbatis* ſuper Decretalium Libros, Decreta *Gratiani* cum apparatu *Bartholomæi Brixienſis*, *Ptolomæi* Geographia, aliaque quarto decimo ſeculo impreſſa in veteri noſtra Bibliotheca ſervantur. Hortus *Eichſtadienſis* ad magnitudinem Plantarum ſe accommodat. Nuperis annis melioris farinæ Auctores Latini & Novum Teſtamentum ampliſſima forma, characteribus Regiis & charta auguſta ex Typographia Regia Pariſiis prodierunt, aliique exinde Libri tanquam ex Equo Trojano emerſerunt, de Regis ſui magnitudine teſtantes, quibus nihil ad ſplendorem deeſt. Alii intra mediocritatem ſe continent. Plures minutis formis ſe legi volunt. Pompæ, oculis lippientibus, & Bibliothecarum ornatui inſerviunt magnificæ editiones. Senilibus oculis Matrona Nobiliſſima *Helena Marswiin* Pſalterium Danicum grandi charactere in folio excudi curavit. Et pro *Vidua* Sereniſſima *Holſatiæ Ducis* Biblia Germanica duobus Tomis majoribuſque literis *Olearius* nuper ex Officina Sleswicenſi procuravit. Minimæ editiones diſcentium captui aptantur, portatili

tatili forma expetitæ. Sic in ſylva proceræ & annoſæ quereus protenduntur, frutices germinant mediocri altitudine, & humiles plantæ terram lambunt. Singulorum neceſſitatem uſus varius expendit. Hic fructus ex proceris arboribus carpit, alius baccas ex repentibus humi ſurculis colligit. Magnatibus divitique penu inſtructis pompoſus ille vaſtorum Voluminum theſaurus convenit, tenuiori ſorti exigua reſervantur, quæ minus & ornatus habent & ſumptus. Quacunque forma & ſpecie incedant Muſæ noſtræ, frigori tamen externiſque injuriis haudquaquam exponuntur, ſed habitu decenti ornatæ in publicum procedunt, pro cujuſque facultate. Ut apertius ſine ænigmate loquar, involucro teguntur Libri, magno ſplendidoque magni, parvo ſed ſufficienti neceſſarioque parvi, toga ita cujuſque corpori aptata, ut & pes & caput uni formæ reſpondeat. Alius veterum in Libris erat cultus, alium noſtri poſtulant, quia noſtra Librorum forma ab antiquorum voluminibus differt. Romanorum libri uno expanſo folio conſtabant in Cylindri formam circumvoluto, unde Volumen dictum, intra bacillos plerumque duos inſtar faſciarum, vel cornua, quæ etiam ornatus gratia in umbilicis ſeu mediis volu-

minum bacillis varie pictis addebantur. Cum volumen convolutum iterum Lectoribus explicabatur, patebat & explicitum erat, unde in antiquis Manuſcriptis ſervata veteri formula *explicit* reperitur, pro fine Libri. Voluminis membranei exemplum in Bibliotheca noſtra extat, imitanturque Belgæ in mappis, quas circa bacillos volvunt revolvuntque. Has extremitates, frontes vocatas, Romani pumice poliebant. Aliam præterea librorum formam invenio per tabellas complicatis vel conciſis membranis. Hanc maſſam multiplici tabella ſtructam vocat *Martialis*, ubi de *Naſonis* Metamorphoſi in membranis ſcripta loquitur, quarum tabellarum prima vultum Auctoris gerebat, quod de *Virgilio* in membranis idem *Bilbilicus* teſtatur. Membraneo tegumento eæ involvebantur, variis coloribus ornato pro Auctorum ſtatu & conditione, vel nigro, vel rubro & miniatio, vel purpura ſeu murice. Pumice etiam has membranas lævigabant, ut eſſent manibus tractantibus benigniores, & cedro ſeu oleo è cedri arbore expreſſo chartas notabant, ut a vermibus præſervarentur. Tandem in fine Librorum Coronidem appingebant, quam ideo in longo libro ſeram appellat *Epigrammatographus*, aliis pro lunu-

la,

la, ſeu cornibus Voluminum habitam. Quicquid ſit vel Tabellæ membranaceæ pugillarium ſpeciem ſectæ æmulabantur, vel foliis laminatim complicatis conſtabant, quali forma complicatas membranas Runicas in Muſæo curioſis exhibere poſſum. Quos poſteriora ſecula Bibliothecis Europæ Libros concredidere, ſectis ex ligno tabellis, pelle involutis & bullis ferreis cupreiſque munitis tectos videmus, minimo ornatu ſapientiam multorum ſeculorum involvente & tegente. At creſcentibus per typos arte typographica Libris, crevit & ornatus, crevit luxus, ut veſtium ita librorum. Et ne deſit hic pompa, auro involucra foliaque incruſtantur, bullæ fibulæque aureæ & argenteæ affiguntur, & pellium vices ſericum ſupplet. Neglectus fuit magnificus Librorum cultus, cum nudi aſſeres tegendis iis ſufficerent, mox ſuperinductæ pelles porcinæ, deinde vitulinæ & agninæ, tum coria Cordubenſia, & demum variegatæ membranæ. Charta groſſa Itali contenti adhuc ſunt, quam ligaturam alla ruſtica vocant, uſibus Lectorum ſufficientem, licet, niſi ſubtili manu tractetur, ætatem longam haud ferat. Sub ſordido palliolo ſœpe ſapientia latet, & ſplendida ſcientia ſub vili Librorum tegmine. Indul-

gere poſſumus in his cultui, modo non excedat modum. Sœpe enim veſtis ipſo corpore pretioſior, & parcius libros volvimus, ſi à macula contrectantium manuum deformitas nitidiſſimis Libris metuatur. Non negamus interim pulchro habitu pleroſque invitari ad amplexus Deæ formoſæ. Me tacente, quivis ex veſtitu ſpecioſo libri pretium penſabit & pulchritudinem, ſed majori Voluminis aperti & interni cultus deſiderio flagrare convenit. *Homerum* in nuce ille quondam incluſit, qui tantum virum nolebat inornatum. Non igitur omnem ornatum removemus, ſed elegantem & mundum laudamus, qui ad interni corporis amorem nos pelliceat. Ego ad illa me revocabo, ne nimia in minutiis curioſitate & rerum cortice, pulcherrimum fructum, intus deliteſcentem, ſapientiæ cupidis videar longis ambagibus invidere. De modico non eſſe curandum Juris periti docent, levius enim eſſe damnum, ſi de mille fabæ modiis negligamus unam.

TH. BARTHOLINI
DISSERTATIO V.
DE
LEGENDIS LIBRIS.

De interna Materia Librorum, quæ vel ſola eſt unius generis vel mixta. Titulos ſæpe fallere. Invidia multorum. Hiſtoricorum differentia. Antiquariorum ſtudium ſingulare. Philologorum, imprimis Salmaſii, libertas in transgreſſionibus. Damnanda ἀλλώτρια multa. Variæ eruditionis Scriptores varii. De Libris amœnioribus tolerandis, ſed obſcœnis inutilibus fugiendis. De DEO *ubique ſcribendum. Forma Librorum interna explicatur. Methodus Philoſophis adſtricta, Philologis libera, pro cujuſque genio & polyhiſtoria. Verbis propriis & æqualibus quo-*

modo res ornandæ. Mediocritas laudatur. Barbaries in eruditis toleranda, ſed ornatus decens præferendus.

AD interiorem Librorum uſum Vos manuducturus, ne ſine ordine procedat oratio, materiam contentam conſiderabo, formam & modum cum fructu legendi ea quæ Libris continentur. Materia vel una eſt, vel varia. Utraque vel ſacra vel profana, hæc ſeria vel ludicra. Quibus capitibus complecti me poſſe videor, quicquid de contentis librorum dici meretur. In forma methodus expendenda, & verba quibus res ornantur. Modus legendi vel Generalis eſt ad omnes Libros ſpectans, quales nempe legendi & quo ordine, à quibus, quando, quomodo & judicio; vel ſpecialis pro cujuſvis inſtituto, ſtudiorum genere, & Librorum ſeu Manuſcriptorum ſeu Impreſſorum varietate. Amplus de his mihi dicendi campus panditur, per quem paſſibus exiguis decurram, ut largioribus vos eum, qui ad legendum animos contuliſtis, emetiamini. Brevis idcirco ero ego, ne vobis uberior legendi materia præripiatur, itinera

itinera ipſa demonſtraturus, non ut ipſe ſim Dux in ſingulis, quod & infinitum eſt & non neceſſarium, ſed ut commonſtrem tantum viam, &, ut fieri ſolet, digitum ad fontes intendam. In his mihi pro laude erit negligentia diligens, dum vobis magnæ fertilitatis opus panditur.

Inſpecto libro quocunque, qui ad legendum forte offertur, vel ſtudioſe quæritur, de materia ſtatim ſolliciti ſimus, quam ſibi Auctor ſumſit pertractandam, videndumque eſt curſoriis oculis, an uni ita inhæreat ſuſceptæ materiæ calamus, ut id ſolum agat, quod promittit, & rerum dicendarum copia exquirit: vel ſi perfunctorie, alienis ab inſtituto admixtis, verſetur in propoſito argumento & libri fronte promiſſo. Sœpe enim tituli nos fallunt ex fulgore apparente in fumum reſoluti, adeo fucata ſpecie prodeunt volumina multorum, ut cum caſtam virginem quæras, meretricem invenias. Cumque dignum aliquid expectas quod

Tanto ferat hic promiſſor hiatu!
Parturiant montes naſcatur ridiculus mus.

Vitium hoc vel invidia parit, vel ignorantia. Illa tegit quæ promittit, & ſpe vana

cre-

credulos lactat. Hæc humeris ſuis vana temeritate plus fidit, quam ſint ferendo, & ut ſe in Doctorum claſſem intrudat, ſibi minus convenientia aggreditur, medioque itinere virium impotentia deficiens Lectorem deſtituit ad ſolidam ſufficientemque argumenti explicationem arrectis auribus plenoque diſcendi impetu accedentem. Sed vere *Naſo*:

Quod parum novit nemo docere poteſt.

Vires ſuas quemque metiri decet, & ſi curta domi eſt ſupellex, rectius & famæ ſuæ Auctor & Lectorum expectationi conſulet, ſi prius diſcat præclara, quam doceat mutila. Hi miſericordiam merentur, illi bonorum indignationem, qui mala invidia ſupprimunt quæ propalare fas eſſet. Quo vitio laborant plerique Chemicorum Libri, in quibus multum fumi parum ignis. Quos ea propter cum tædio & imprecatione aggredimur, aurum ſperantes, revera vix lutum lectis iis referentes. Rectius domi libros ſuos ſervarent, volatili Mercurio conſecrandos, ne tempus legentibus verba ſuffurarentur. Culpæ huic affines alii amplo Commentario de ſecretis agunt, ſed ubi ad rem ventum eſt propalandam, muti magis ſunt quam piſces, vel ſibi arcana reſervantes, vel aliam occa-

ſionem

ſionem commodiorem, ad Calendas Græcas ſcilicet, captaturi. His illiſque pervolutandis opera & oleum perditur, utilioribus impendendum. Præſtat ſane nihil legere, quam umbras rerum venari. Satius eſt nihil agere integris ſenſibus, quam fruſtra agendo ſenſus debilitare. Sunt utiliora alia quibus ocium noſtrum partimur. Sunt quippe Doctores, qui materiam ſuis viribus æquam ſine invidia expromunt, & lectores cupidos vera voluptate doctrinæ ſatiant. Hi quando ingenii & eruditionis ſuæ cenſum uni argumento excolendo impendunt, non dubium eſt, quin clariſſima rebus lux accedat, Lectoreſque navatæ operæ pretium haud pœnitendum referant. Nolo per exempla ire, ubivis obvia. Hiſtoricorum natio ſola rem confeſſam illuſtrat, quorum alii univerſalem rerum à mundo condito vel Chriſto nato geſtarum narrationem ſuſceperunt, alii ſingularum vel gentium, vel perſonarum, vel bellorum hiſtoriam contexuerunt. Et his & illis ſua laurea debetur, ſed Lectori ad particularum nationis cujuſvis, vel Principis, vel belli cognitionem ſuſpiranti, hi magis ſatisfacient, qui dato ſtudio ſingula & fideliter & veris narrationibus Archivis Principum & Annalibus propriis deprompta tradiderunt. Sic Judæorum

hiſtoriam *Sacer Codex* & *Joſephus*, Romanam, *Livius*, Græcam *Herodotus*, *Xenophon*, Danicam *Saxo*, *Huitfeldius*, *Pontanus*, Gallicam *Thuanus*, Hiſpanicam *Mariana* & *Curita*, Polonicam *Cromerus*, Anglicam *Cambdenus* optime deſcripſerunt. Bello Peloponeſiaco *Thucydides*, Trojano *Dictis*, Civili Romanorum *Julius Cæſar*, Gallico *Davila*, Jugurthino *Saluſtius*, Dithmarſico *Cilicius*, Belgico *Strada*, Pharſalico *Lucanus*, Obſidioni Grollæ *Grotius*, Sylvæducis *Heinſius*, Bredanæ *Hugo* & *Boxhornius*, unice incubuerunt. Alexandro Magno *Arrianus* & *Curtius*, Carolo Magno *Eginartus*, Ludovico XI. & Carolo VIII. Galliæ Regibus *Cominæus*, Chriſtiano III. *Stephanius*, Comnenis *Cinnamus*, Piſauris *Craſſus* Venetus, Alphonſo *Facius*, Tychoni Brahæo *Gaſſendus*, Tamerlano *Anonymus* per *Erpenium* editus, integram pennam laude integra commodarunt. Nolo velut explorator ulterius in Martio Campo progredi, ne ab inſidiis comprehendar, in quo tamen Antiquarii mihi amici cum olea occurrunt, aurem vellicantes, quia proximum ab Hiſtoricis in Parnaſſo locum, vel habent, vel plurimorum ſuffragio merentur. Sunt ex iis qui univerſas Romanorum Antiquitates uno ſyſtemate includant, per compendium de Magiſtratibus, Legibus, Militia,

Ri-

Ritibus differentes, quorum agmen *Roſinus* ejuſque Gloſſator *Dempſterus* ducit, alii ſingulos titulos accuratius propriis voluminibus dicarunt. Ita de Magiſtratibus Romanorum *Sigonius* & *Feneſtella*, de Amphitheatro *Lipſius*, de militia Rom. *idem* & *Salmaſius*, de Arte Gymnaſtica *Mercurialis*, *Ciacconius* de Triclinio, de Vaſculis *Bayfius*, de luxu *Meurſius*, *Pignorius* de ſervis, de Annulis & Funeribus *Kirchmannus*, *Rhodius* de Acia, *Ferrarius* de Re Veſtiaria, de Pænula *B. Bartholinus* frater, de ſtatuis *Figrelius*, de Re navali & vehiculari *Schefferus*, de Triremibus *M. Meibomius*, *Sagittarius* de Januis, *C. Bartholinus* filius meus de Inauribus, & ſic alii ita uni argumento excolendo deſudarunt, ut nihil intactum reliquerint, nec ulli poſt accuratam meſſem ſpicilegium. Poſſem per omnium ſcientiarum libros vagari & in argumenti perfecti probationem multa afferre vel Fabii eloquentiam laſſatura, ſed aliquid Lectorum ſtudio relinquendum. Poſt hæc tamen in exemplorum enumeratione partiri conabor penſum inter ſcriptores, quos in ſcenam ſimul producere non vacat. Quanquam autem unius tantum materiæ laborem in ſe ſuſcipiant eruditi Scriptores, in qua doctrinæ magni-

tudine verſentur, non raro tamen extra ſemitam ingenii amplitudine exſpatiantur, carcereſque laxant. Eſt quippe illa *Platonis* vera vox a *Tullio* laudata, omnem doctrinam harum ingenuarum & humanarum artium uno quodam ſocietatis vinculo contineri. Ubi enim perſpecta vis eſt rationis ejus, qua cauſæ rerum & exitus cognoſcuntur, mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum concentuſque reperitur. Hinc capaces rerum plurimarum, ad illuſtrandam materiam, quam principe inſtituto examinant, alia præterea conferunt quæ proprie eo ſpectare non videntur. Magna ſui fiducia jactat *Apulejus*, ſe univerſas Philoſophiæ crateras bibiſſe, canere *Empedoclem* carmina, *Platonem* dialogos, *Socratem* hymnos, *Epicharmum* modos, *Xenophontem* hiſtorias, *Xenophanem* Satyras, ſe omnia hæc, novemque Muſas pari ſtudio coluiſſe. Majori veritate de *Cl. Salmaſio* Polyhiſtore magnifice loquor, cujus ſœpe memoriam, quia recens, libens recolo, de quo præceptore & amico ſemper mihi impenſe ſum gratulatus. Cum omnium ſcientiarum & literarum Encyclopædiam animo vaſto complexus eſſet, temperare pennam nunquam potuit, quin ad varias dilaberetur ambages, licet unius argumenti metam ſibi

pro-

propoſuiſſet. Teſtes, præter alios, ſunt Libri de Uſuris, in quibus vel data vel arrepta occaſione, plurimas Criticas & Sacras Controverſias contra magnum Criticum & Sacrarum Exercitationum Auctorem *Danielem Heinſium* docto ſed aculeato ſermone perſequitur. In ultimo Volumine de Fœnore Trapezitico, quanquam ſe contra Theologum *Cloppenburgium* defendat, Magiſtratumque & Trapezitam tueatur, affirmando hunc non peccare dum Uſuras ſibi a Magiſtratu decretas accipit in exercenda menſa quam è publico conduxit, & ſub 115. conditionibus de quibus in lege contractus Trapezita conductor & Magiſtratus locator inter ſe convenerunt: multa tamen quæ videntur ab inſtituto aliena, ſed quæ Lectores ſcire expedit, nexu ſermonis ſuſcepti ita ferente inſerit grata pariter & utili varietate. Cur nempe uxor Apoſtolo dicatur vas proprium. Quo ritu caput operiebant, qui vapulabant. De Epiſcopatus in veteri Eccleſia dignitate. Quo ſenſu & qua veritate in ſynodo prima Hieroſolymitana ſanguis & ſuffocatum ſint prohibita. De meretricia apud veteres profeſſione. Quales milites Evangelium ſuos ſtipendio contentos vult, an præſidiarios, ordinarios, an emeritos. Quod panis ἐπιούσιος,

quem in oratione Dominica nobis precamur, ſit *Chriſtus*, ideoque textum latine ita vertendum: Panem illum noſtrum, qui venturus eſt, da nobis hodie. Et alia infinita ex penu immenſo variæ eruditionis deprompta. Male quidem hac calami profluentis fœcunditate, apud non nullos audit parſimoniæ ſtudioſos, contra quorum cenſuras ſe tutatur illorum exemplo qui Varias Obſervationes & Lectiones ediderunt nemine improbante. Nec ab hac μεταβάσει εἰς ἀλλογένος, ut Græci loquuntur, immunes ſunt Veterum plurimi, etiam in Hiſtoriarum ſerie occupati. Certe ægerrime Viator manum temperat, quin ab itinere ſubinde deflectens elegantiſſimos floſculos extra ſemitam carpat, forte obuios. *Livius* l. IX. tranſgreditur ad Hiſtoriam Alexandri Magni, ſed, quia ab inſtituto aliena, veniam præfatus. Nigro autem Obeliſco digni ſunt, qui indocta inutiliaque ἀλλότρια ſcriptis ſuis immiſcent, ridicula, obſcœna, trivialia, quibus rhapſodiis volumina mole increſcant, ſed pretio apud eruditos ſeveroſque temporis exactores imminuantur. Conſultius illi cum Albutio Rhetore, de omni cauſa ſcriberent non quæ debebant, ſed quæ poterant. Saluberrimum eſt monitum *Flacci Lyrici*, ne humano capiti cervix equina jungatur, ne cum placidis coëant immitia, neque ut.

Ser-

Serpentes avibus geminentur, Tygribus agni.

Variam illi materiam certe conſilio eligunt, qui ſuas tantum obſervationes & ſparſas in Collectaneis animadverſiones in faſciculum compingunt, nulli vel Auctori certo illuſtrando vel argumento pleno aſtricti. Non male illi Lectorum deſiderio conſulunt & typorum labori, cum una alterave obſervatione nova, integros libros corraſis undique auxiliis non impleant. Inter ſacros veteres non pauci hoc nomine celebrantur *Photius*, *Theodoretus*, *Iſidorus Peluſiota*, *Anaſtaſius*, *Sidonius Apollinaris*, *Caſſiodorus*, *Bonifacius*, & alii, quorum vel miſcellanea vel Epiſtolas varii argumenti habemus. Inter recentiores eminent *Æneas Sylvius*, *de la Cerda*, *Novarinus*, *Strigelius*, *Camerarius*, *Rittershuſius*, *Feſtelius*, *Fullerus*, *Capellus*, *Druſius*, *Voëtius*, *Joſ. Arndius*, *aliique numero plures*; quibus Electa ſacra, Hypomnemata, Schediaſmata, Adverſaria, Critica, Miſcellanea, Sacræ Lectiones, Exercitationes & Diſputationes mixtæ debentur. Juris Conſulti in hac varietate materiarum, ſed ad Jus ſuum ſpectantium ſibi placuerunt & publico. Magna illa nomina *Alciati*, *Cujacii*, *Pithæi*, *Au-*

Auguſtini, *Connani*, *Fabri*, quis pro dignitate laudaverit, quorum Miſcellanea Juris, Emendationes, Obſervationes omne tulerunt punctum. Ut immenſa Conſiliorum & Deciſionum Volumina JCtorum ſicco pede tranſeam. Medici noſtri in hac palæſtra ſe ſtrenuos quoque diligenteſque præbuerunt. Neque tantum Variis Auctoribus Medicis illuſtrandis operam ſuam condixerunt in Variis ſuis Lectionibus, ut *Mercurialis*, *Cagnatus*, *Hofmannus*, *Reineſius*, ſed infinitis Libris Obſervationum Medicinalium, Hiſtoriarum, Conſultationum, Epiſtolarum, Caſuumque ſingularium rem Medicam auxerunt, quorum nomina, immortalitati ſacra, recenſere ſuperſedeo. At Philologorum tanta eſt multitudo, ut anguſtiis unius Parnaſſi includi nequeant, qui in Auctoribus paſſim emendandis illuſtrandiſque plurimum olei conſumpſerunt, veterum exemplis excitati, *Æliani*, *Gellii* aliorumque. Hinc natæ ſuperiori ſeculo *Cælii Rhodigini*, *Calcagnini*, *Turnebi*, *Eraſmi*, *Alexandri ab Alexandro*, *Mureti*, *Canteri*, *Nanni*, *Junii* lucubrationes multiſciæ in Adverſariis, Variis Lectionibus & Epiſtolis, æterna nominis fama & Auctorum veterum luce impenſæ. Quibus noſtro ſeculo *Barthius*, *Gruterus*, *Scioppius*,

Ca-

Caſaubonus, *Rutgerſius*, *Rubeus*, *Modius*, *Swartius*, *Gronovius*, *Cuperus* & alii bono publico nati feliciter ſucceſſerunt, quorum de varia materia eruditionem inque veterum Auctorum ſalute occupatam teſtantes Libri omnium manibus teruntur. In ſacris & profanis hi illique ſed ſeriis occupati publicum eruditi orbis applauſum obtinuerunt. Impar eſt illorum ſtudium, qui ad res ludicras ſcribendas ſe contulerunt. Scilicet varia hominum ingenia vel ad ſeveritatem vel amœnitatem compoſita, vario quoque liquore ſeu atro ſeu rubro calamos ſcriptorios implent, hoc ut ſe alioſque grata varietate delectent, illo ut cunctis ſine joco proſint Catonis vultu. Captui Lectorum ſe accommodant, quorum aliqui ſevera doctrina proficiunt, aliqui cruſtulis blandis elementa diſcunt. Sunt vero in varia differentia ludicrorum libri. Vel amœni, vel obſcœni, vel inutiles. Amœni, vel ingenio exercendo idonei, vel linguæ excolendæ, vel reficiendis ſenſibus. Ingenio abutuntur ſcholaſtici ſcriptores, Scotique aſſeclæ in Entibus Tranſcendentalibus miras tricas nectentes, araneis haud abſimiles, ut *Naudæus* jocabatur, quæ telas quaſdam nectunt

tenuitate quidem fili operiſque ſubtilitate admirabiles, verum quæ ſunt prorſus inanes, & ſapientum cachinnis & ludibrio expoſitæ. Eruditionem oſtentant qui de Nihilo docte commentantur. Mileſiorum Scriptores veteres & recentiores linguarum ſtudioſos exercent. Quo referenda diſſertatio Italica ſeveri alioquin Viri, *M. Aurelii Severini*, de particula Et, cujus querelam inducit quod unica litera mutiletur apud Italos. Senſibus inter his recreandis plures dicati, præſertim Epigrammatographi, Facetiarumque Autores. Auribus Muſici, oculis Pictores, manibus pugiles, pedibus Saltatores blandiuntur. Sed maximam amœniorum Librorum partem conficiunt mores hominum & ſeculorum per Satyras, Comœdias, Tragœdias caſtigandi & corrigendi. Hinc ſub ignobili titulo Aſini, Umbræ, Pediculi, Stultitiæ, mortalium deſidiam, vanitatem ſorditiem & arrogantiam taxarunt elegantiſſimi Auctores. Sunt ex hoc ordine qui per Emblemata jucunda Amantium vitia notent, Politicum ſtatum emendent, Pietatem inſtillent, Naturam doceant. Inutili materiæ deſcribendæ illi ſe applicant, qui artem diteſcendi, amandi, volandi, potandi tradunt

dunt ocio ſuo abundantes. In quibuſdam Doctore nullo indigemus, in aliis deludimur. Male etiam chartas commaculant, quæ de Hanreitate, Peditu ejuſque variis ſpeciebus & differentiis eructantur, typis indigna. Majori ſcandalo ſcribuntur obſcœna quorundam argumenta, quam leguntur. Quod *Aretini* fuit ſtudium ineptum in Libro figuris obſcœnis defædato, aliorumque quibus tantum ſepiæ ſuperfuit, ut de Arte Meretricia paginas conſpurcarent, Lectores inventuri non laudatores. Quanquam nullus liber tam ſit malus, quin ex eo aliquid boni poſſit elici, ſicut ex ſtercore Ennii aurum *Virgilius* dicitur eruiſſe. Ita poſtremi forſan eo nomine ſe excuſant, quod artes doceant fugiendas, non ſequendas. Priores in ſterilibus tardiſque & impotentibus labenti vel torpenti naturæ ſuccurrere exiſtimantur. Quocunque autem fuco ſe adornent, cum Archilochi Libris e civitate exportandi eſſent, more Lacedæmoniorum, quia illorum parum verecunda ac pudica lectio juniorum moribus plus nocet, quam ingeniis prodeſt. Sic ſcripſit quoque *Petronius* res Nerone ſuo dignas, at ingenio, ut *Buſſieres* eleganter loquitur, Scipione digno, ut mo-

rum interfuerit, ſi nunquam ſcripſiſſet, elegantiæ linguæ, ſi aliud. Obſcœna enim quacunque dulcedine ſermonis dicantur, mella tamen ſunt venenum tegentia, ſicut *Lactantius* illa vocat. Magnus ille *Thomas Aquinas* tanti feciſſe dicitur *Chryſoſtomum* ſuper Mathæum, ut mallet illum quam civitatem Pariſienſem. Ego Thomas, ſed illo minor, ſi pro Regia Clementia mihi Rex Galliæ Chriſtianiſſimus ex florentiſſima urbe Pariſienſi, vel potius Orbe, viliſſimum ejus lutum Lutetianum concederet, non permutarem iſtiusmodi lutulentis Libris & obſcœnis. Sed omnium odia & exſecrationes merentur Atheorum ſcripta, quæ vel DEUM negant, vel in DEUM ſunt injuria. Recte illa fumo flammiſque traduntur, ut mundi interitum prævertant. Piæ Deoque dicatæque mentes pro materia Librorum principem DEUM eligunt, qui utramque paginam impleat. Et quanquam neceſſaria alia humanæque ſocietati proficua argumenta a JCtis, Medicis, Philoſophis & Philologis in manus ſumantur expedienda, ubique tamen, quacunque occaſione DEUM rebus ſuis immiſcent, ne ſine eo quicquam dicatur, vel gry inſeratur. Hic omnium materiarum, quas Libris compre-

prehendimus, principium erit & finis, ut Libris autoritas, Lectoribus utilitas, ſcriptoribus denique pio calamo inſtructis, conſcientia ſarta maneat & illibata. Arabum ſcriptorum pia exordia laudamus, quorum librorum initium perpetuam inſcriptionem hanc habet. In nomine DEI miſeratoris miſericordis. *Juſtinianus* Imperator ita quoque pie exorſus eſt Titulum 27. Codic. de Offic. Præf. Prætor. Africæ: In nomine Domin. noſtri Jeſu Chriſti. Et *Leo* Imperator Conſtit. 72. ſancivit, ut omne pactum in quo ex divinis adjumentis aliquid idoneum inſit, firmum ſolidumque robur habeat. Certe ſi toto opere ſiletur DEUS, ſine cujus numine nihil præclare ſcribimus, minimum ab eo auſpicemur ſcribendorum ſeriem, & in Sancto ejus nomine finiamus. Omnia poſt religionem ponenda ſemper Romana civitas duxit, etiam in quibus ſummæ Majeſtatis conſpici decus voluit. Quapropter neque dubitemus nos ſacris DEI noſtri volumina ſcribenda ſervire, ita illarum rerum futuros ſucceſſus exiſtimantes, ſi Divinæ potentiæ & majeſtati bene atque conſtanter fuerint famulatæ. Hinc illud apud *Aratum*: ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Hunc pie imitatus Maro: [illegible]

Ab Jove Principium Muſæ, Jovis omnia plena:
Ille colit terras, illi mea carmina curæ.

Proxima his cura ad internam Librorum formam vocat. Nam Mechanicos imitantur Auctores, ut ſubjectæ materiæ idoneam concinnamque formam inducant. Fruſtra ſunt Sartores ſi ex panno ſelecto veſtes informes conſuant. Ludit operam Cocus & gulam convivarum defraudabit, niſi ex arte præparet Apiciana fercula. Artis ſuæ imperitiam prodit pictor, ſi elegantem vultum indignis coloribus deformet. Architectus calce, lapidibus, lignis damno poſſeſſoris abutitur, niſi ad leges mechanicas domum numeris ſuis abſolutam conſtruat. Par eſt de Libris ratio, quibus ad eruditorum palatum Lectorumque compendium faciendum conſcribendis tum demum officio ſuo rite functus videbitur Auctor, cum convenienti artificio corpus exſtruxerit, dignumque habitum induxerit. Ne arena ſit ſine calce, ne chaos opus confundat, ſumma imis, cocta incoctis, bona malis miſceantur providendum. Itaque ad materiam, quam ſibi deſcribendam ſumpſit Auctor, ubi ſatis animum legendi di-

diſcendique amore inflammatum adverteris, prima exinde cura ſit de methodo circumſpicere, ſeu ordine in diſcurſu ſervato, modo tractandi & quibus verbis per ſuſceptum argumentum calamus decurrat. Methodus Analytica vel Synthetica quibus ſervanda; Philoſophorum filii docent. Neque iſti ordini tam arcte ſe emancipant ſcriptores, quin pro arbitrio hanc vel illam methodum deſerant, & liberius ſubinde per materiæ campum exſpatientur, ſerie illa ſervata quam fors obtulerit, vel memoria ſuggeſſerit. Habent Oratores ſuas leges, habent Hiſtorici, habent Polemici, quibus vel propriam ſententiam ſtabiliant, vel adverſariorum deſtruant, habent & ſuas Commentatores & Interpretes, ſingula ſcientiarum genera ſuas; ſed unicuique ſcriptori, pro vario genio, propria eſt & ſingularis ratio docendi loquendique, quam in ſingulis examinare in præſenti non licet ſuo loco temporique reſervandam. Expendendus cujuſvis ſcriptoris eruditi & famam adepti ſcribendi modus. Cum ſeculorum revolutionibus etiam hic varietatem invenias. Ratio ſcribendi jam exactior cultiorque, olim negligentior. Mutantur calami ſicut pilei. Quod homines, tot vultus indiſcreti, tot manuum ſenſuumque

ſuumque differentiæ. Suo quiſque genio litat, ſuoque modo & docet & ſcribit. Hic longis ambagibus utitur, alius rei tractationem ſine mora & circuitione aggreditur, iſte longam Argumentorum ſeriem amat, ille per compendia incedit, laxat alius, alter conſtringit doctrinam, ſententias meras loquitur tertius, dat ſequens verba pro rebus, ſumma: quiſque ſuæ Junoni blanditur. In Artibus docendis & ſcientiis tradendis Philoſophorum accurata methodus obſervanda. At Polyhiſtores aliam ſibi licentiam ſumunt. Sine legibus Philoſophorum vivunt, ſcribuntque, quorum imperia detrectant. Quia ſine cura curioſa calami currentis ductum ſequuntur, libere & ſœpe ſine ordine manifeſto ſcribendi impetum effundunt. Quibus bis ſcribere inconſuetum, ſubita pennæ facilitate expromentes cogitata, methodi ſtrictioris rigorem negligunt, ſtylumque velociſſimum nunquam interrupta manu pergentem, vertere neſciunt. Cæterum qui tardo calamo vel decem annos cum *Iſocrate* in Panegyrico elaborando conſumunt, vel nonum in annum cum *Cinnæ* Smyrna premunt fœtus ſuos ſœpiuſque lambendo perficiunt, pumice edolatos, ordine commodo & decenti methodo expolitos in lucem

lucem mittunt. Videtur quidem libertas illa Eruditorum & curſoria penna Polyhiſtorum imitabilis vulgo exiſtimanti à numero eos eſſe vomentium, ſicut Marco Imperatori reſpondit *Ariſtides*; ſed nihil eſt experienti minus. Vaſtam enim ſcientiam prodit & promptam ad obſequium dictantis manum, quæ nec laſſatur nec emendatur, ſed diu meditata & cocta æternitati tradit, quanquam celeritati aſſueta, & uberrimo divitis ingenii penu ſublevata, diu cum Zeuxe non pingat. Non quærunt enim Polyhiſtores operoſe rerum momenta quæ longo tempore robur acquirant, ſed oblata referunt cum delectu, genio dictante ſine modo & modio, nec in ordine ſcrupuloſi locum quemcunque idoneum reputant, qui Lectores excitatos doceat. Rerum methodo cuicunque paria verba ſociantur, quæ in Lectione Auctorum obſervanda ſunt. Rebus vero illa ſe accommodant, ut humilia trivialibus exprimantur, ſublimia ad rerum ſublimium altitudinem aſſurgant. Ibi humi ſerpunt verba, hic cothurnis incedunt. Oratorum imprimis & Poëtarum certantia in his ſtudia cernimus, ut rerum dicenda-

rum majeſtati paria verba aptentur. Nam magnæ Numina Romæ, non ita cantari debent, ut ovile Menalcæ. Et propria requiruntur, ut, *Flacco* dictante.

Sit Medea ferox, invictaque, flebilis Ino,
Perfidus Ixion. Jo vaga. Triſtis Oreſtes.

Æqualia quoque, ut ſibi conſtent ubique, ſerventurque ad extremum Operis, qualia ab incepto proceſſerant. Operi prolixo copioſa verba deſtinantur, paucioribus parva rerum ſupellex ornatur. Cavendum tamen ne brevitate ſenſus Auctorum abſcondatur. Quo vitio non pauci laborant. De Alcibiade, Critia, Therameno conqueritur *Tullius*, quod grandes verbis, crebri ſententiis, compreſſione rerum breves, interdum ob eam ipſam cauſam ſubobſcuri fuerint. Hinc, ne vel brevitas rerum ubertati explicandæ officiat, vel prolixus ſermo legentium animos obtundat tædioque deterreat, mediocritatem laudamus cum perſpicuitate, mixtamque hanc gloriam in ſcriptoribus commendamus. Loquendum quippe ſcribendumque ut intelligamur, ne illius indignatione, abjecto libro obſcuro, dicatur: Si non vis intelligi, neque

que debes legi. *Socrates* olim modeſtius ſed acute reſpondit, cum obſcurum *Heracleti* librum legiſſet: Quæ intellexi, inquit, proba ſunt, credo & quæ non intellexi. *Fabii Quintiliani* de *Lucretio* judicium contemnendum hoc loco non eſt, quem cum *Macro* comparans, legendum quidem utrumque concedit, ſed non ut phraſin id eſt corpus eloquentiæ faciant, elegantes quoſque in ſua materia, ſed alterum humilem, alterum eſſe difficilem. Certe eloquentiam & dicendi ornatum, ſermoniſque puritatem à Grammaticis exigimus, ſed reliquarum artium doctoribus indulgendum, quod argumentorum pondera non tam verbis elegantibus expendant, quam rerum claritate, contenti docere non declamare. Ornatus puruſque ſermo Auctorem commendat, & floſculis ſuis Lectorem invitat, ſed doctus ſatiat animum ad graviora rerum momenta erectum. Sic ſine magno famæ detrimento verbis barbaris *Lyra* utiles in ſacroſanctos libros notas congeſſit, *Accurſius* in jus Juſtinianæum, & alii JCti commentarios ediderunt à *Zaſio* ad Cenſuram vocati, qui ſermonis proprietatem negligentes rem ipſam ſpectarunt. *Hugo Senenſis*, *Gentilis de Fulgineo* & alii Medici,

opere non verbis æſtimandi. *Avicennæ* interpretationem & artis Medicæ dogmata rudi & impolito ſtilo pro temporum illorum ratione prodiderunt. Nec terſior in Philoſophia *Scotus*. Scilicet vere *Cardanus*, illum quoque ſapere æſtimat, qui rudis linguarum ac barbarus, rectæ tamen multa nobis tradidit non ſolum in Philoſophia, ſed & in arte Medica. Et puerilem anguſtique pectoris reprehenſionem putat *Arnobius*, barbariſmis, ſolœciſmiſque obſitas eſſe res noſtras. Rara vero ſeculi ingeniique felicitate utrumque quidam pari laude præſtiterunt, ut res ſerias decenti verborum pompa perſequerentur. Quo encomio digni inter veteres Theologos græcos *Chryſoſthomus*, inter Latinos *Auguſtinus*, *Tertullianus*, *Lactantius*, *Arnobius*, *Minutius*, inter recentiores *Flaminius*, *Caſtalio*, *Petavius*, *Brochmannus* noſter : Ex JCtis *Cujacius*, *Hottomannus*, *Giſanius*, *Faber*; ex Medicis Græcis *Galenus*, ex Latinis *Celſus*, *Plinius*, *Aurelianus*, inter novitios *Fernelius*, *Biſo*, *Hofmannus*, *Tulpius*, *Veſlingius*, aliique quorum arduæ res æquis, & cum *Tullio* vel *Nepote* pari elegantia fluentibus verbis expromuntur. Ornatiſſima hæc ſapientiæ utriuſque mixtura non poteſt non

Le-

Lectoribus grata eſſe & utilis, cum altius animo inhæreant quæ tanta ſuavitate addiſcuntur, ſicut palato gratiores cibi ſunt, quos & perita coci manus & dulciſſima condimenta ex arte commendant.

TH. BARTHOLINI

DISSERTATIO VI.

DE

LEGENDIS LIBRIS.

De modo legendi, ſenioribus junioribuſque ſervando. Fœminæ an & quid legere debeant. Principum & Mechanicarum Artium Libri evolvendi. Quinam omnes Libros legunt. Pagani caute lectitandi. Nullum tempus lectioni eximitur, ſed cavenda nox, cœna & nimia aſſiduitas. Interrupta ſtudia probantur. Intemperantiæ damna. Magna volumina quomodo explicanda. An multos Libros habere conveniat. Memoriæ ſubſidia varia, imprimis Repetitio. De arte Mnemonica quid ſtatuendum. Tabularum uſus. Excerpendi modus. Loci communes ex com-

compendiis. Judicum utilitas, Rerum, Verborum, Capitum, Auctorum. Regiſtrum quid. Vett. Libri ſine diſtinctione Capitum, & Verſuum. Κεφάλαια *N. T. olim diverſa.* Κεφαλις *explicatur. Auctorum Chronotaxis. De Lexicis Facultatum ſingularum. Indicum generalium varius ordo.*

DUcit nos cœptæ orationis filum ad pulcherrimum modum legendi Auctorum Opera, quæ hactenus a materiæ ſplendore & methodi præſtantia ornatuque deprædicavimus. Ad hanc metam collinearunt pleraque quibus dicendis nos defatigavimus, quam prope proſpicientes, tanto alacrius in ſtadio decurremus, quanto nobilior corona emenſo curſu, rerum nempe utiliſſimarum fructus nos expectat. Auſpicato cœpimus arenam ingredi, de felici progreſſu nihil dubitantes. Adſcribimus veteri formula, Bonum factum, plenis literis, non notis, ut ab omnibus, qui nobiſcum ad metam propoſitam properant, intelligamur. In univerſum, ſi ad eos mentem dirigamus, quos cum fructu ad Librorum lectionem invi-

vitamus, nullo diſcrimine omnis ætatis, ſexus & conditionis Lectores operæ ſuæ facturos pretium exiſtimandum, ſi huc temporis oleique particulam contulerint. Juniores ut diſcant, ſenes ut memoriam recolant. Illi honeſta à turpibus diſcernent, imperabunt voluptatibus, ſapientiæ ſtudebunt, eruditionem ſęctabuntur, de proſpero rerum ſucceſſu certi. Hi cum Solone ſeneſcent multa indies addiſcentes: Utrique lectis Philoſophorum veterum Libris, tranquillitatem mentis, animi moderationem, in utraque fortuna conſtantiam referent. Senectuti ſane nihil jucundius lectione, nihil ex hac vita migraturæ utilius. His ſtudiis in præterita tempora revertitur, Senatum, Aulam, Scholas, inſtituta moreſque & labores examinat, ſeque ad placidam mortem, & immortalitatis, quæ ſequitur, poſſeſſionem inſtruet. Senectutis commoda ex *Tullio* diſcet, privilegia ex *Joh. de Monte Leone*, medicinam languentibus ſenio membris ex *Davide de Pomis*, *Anſelmo* & *Ranchino* hauriet, mortis contemptum ex *Heinſio*, artem bene moriendi ex *Bibliis*, *Bellarmino* Theologo, *Beuſtio* JCto & *Sennerto* Medico ruminabit. Nunquam enim ullum ſapientem coëgit in ſuis ſtudiis, etiam extremis, obmuteſcere ſe-

ſenectus. Philoſophi iſtius curioſus fertur ad extremum ſpiritum provectus diſcendi multa ardor, cum vicinus fato libri lectione delectaretur, ut ante abitum, etiam iſta ſciret, ſimilis Leontino Georgiæ, qui centum & ſeptem annos complens, nunquam in ſuo ſtudio atque opera ceſſavit. *Anſelmum* Cantuarienſem Archiepiſcopum, cum 76. ætatis anno morti eſſet vicinus, dixiſſe referunt, optare ſe adhuc modicum temporis, ut quæſtionem obſcuriſſimam de Origine animæ, quam cœperat, abſolveret. Valde dubito, ſi vel totidem annos, quot vixerat, illi addidiſſet Deus vitæ arbiter, an ad finem quæſtionis dubiæ unquam potuerit pervenire. Junioribus præcepta non dabo, quos meliorum Librorum amor ad ſapientiæ maturæ adita perducet, famæ inſeret, virtuti conciliabit, ad Senectutis auctoritatem promovebit, rerum omnium, ſed animo poſſidendarum, poſſeſſione ditabit. Nec ſequior ſexus a boni hujus participatione excluditur. Diſciplinæ feminas eſſe capaces Libro ſingulari & proprio exemplo probavit Nobiliſſima *Schurmanna.* Non deſunt nobis domeſtica exempla *Belowiæ* & *Tottiæ*, quæ libris erudite volitandis ætate conſumpta ſe ſupra ſexus ſui conditionem extulerunt, ut aliarum gen-

tium Heroinas doctiſſimas propriis Annalibus relinquam. Nulla ſane meliori arte ſexus imbecillitatem emendant, quam animum mollem ſapientum præceptis roborando, nulla ratione commodiori voluptatibus, ad quas infelicitas ſexus pleraſque damnavit, fræna injiciunt, quam negotiis ſerioribus & recto, ex libris petito, mentis uſu, ut quemadmodum *Sophocles* in confecta ætate, ſic illæ, quod glorioſius, in florente, literarum cultu à libidinibus libenter profectæ, ſicut à Domino agreſti ac furioſo, profugiant. Sic amore Palladis, non Cupidinis aut Paridis inflammatæ, elegantiſſimam corporis formam, pulcherrimo animi maſculi & ſapientis cultu illuſtriorem & Deabus comparandam efficiunt. Non arrogabo mihi licentiam libros legendos feminis commendandi, quos cujuſque genius aperiet. Ex ſacra tamen *Judithi* & *Eſtheri* Hiſtoria ad fortitudinem & animi ſubmiſſionem incitabuntur, cum puſillanimitate & faſtu, contrario inter ſe vitio, optimas plerumque animas & innocentes corrumpant. Ex Cantico *Salomonis* pulchritudinis ſuæ notas expreſſas ipſæ admirabuntur, duce *Erneſto Vænio*. Tertulliani liber elegans de Virginibus velandis, fruſtra ab illis inſpicitur,

quæ

quæ alieno capillo comiſque appoſititiis frontem, animi indicem, ſplendide vel tegunt, vel ornant, velut corona Martyrum, ſeu potius galericulis ſutilibus, formam, ut ille loquitur, annoſve impunè mentientibus. Nec *Andr. Schröderum* de Platonis Saltationibus operoſe legendum cenſeo, quia ex ſe pedes agiles docileſque ad novas choreas excitantur. *Weckerianæ* mulieris artem Coquinariam negligere poſſunt, quod eo labore à peregrinis cocis ſubleventur. *Georgium* tamen *Vivienum* de officio probæ matrisfamilias commendarem, ſi tantillum temporis a negotiis domeſticis ſuffurari vellent. Impudens vero *Anonymi* iſtius ſcriptum, qui mulieres non eſſe homines probare ſuſtinuit, ſumma in nitidiſſimam creaturam injuria, legere ſerio velim, ut contemnant & ſupra humanam conditionem, ſi homines non ſunt, virtute ſurgant. Et ut propriæ valetudinis cura tangantur, ne pereat vel labem contrahat tot injuriis naturæ expoſitus ſexus ſuaviſſimus, Morborum Muliebrium ſcriptores adeant, qui vel internam medicinam præſcribunt, *Hippocrates*, *Mercurialis*, *Caſtrenſis*, *Warandæus*, *Primeroſius*, vel externi vultus pulchritudini conſulunt & pilorum ornatui, ut *Coſmetici* per fucum, purpuram,

pulveres odoratos Cyprios ſexui blandientes. Scilicet

Nec tamen indignum, ſi vobis cura placendi:
Cum comptos habeant ſecula noſtra viros.

In quam rem *Ovidius* pervolvendus Libro de medicamine faciei. *Erotin* pene omiſiſſem, vulgo *Trotulam*, qui licet mulier non fuerit, nec, ut alii cenſent, Eros Auguſtæ Medicus, ſed Salernitanus Doctor, de Mulierum tamen morbis à mulieribus ſanitatis ſtudioſis legi meretur. Obſtetrices ad lectionem *Scipionis Mercurii* & *Burgeſiæ* vocare fruſtranei laboris eſt, cum Sectionibus Anatomicis publice in Theatro noſtro adminiſtratis adeſſe, vel negotiis impediri ſe cauſarentur, vel ruſtica arrogantia. Neutiquam interim tam rigidi ſexus delicati Cenſores ſumus, ut invideamus pudicis oculis & caſtis manibus amœniora librorum diverticula vel ex Hiſtoriis, quæ omnium fere gentium linguis leguntur, vel ex *Amadiſii*, *Aſtrææ* aliorumque Mileſiis ſcriptoribus petenda. His quippe legendis occupatæ & animum curis domeſticis laſſum recreant, & de publicis maritorum negotiis minus erunt

ſol-

ſollicitæ. Poëtarum imprimis, Emblematumque jucunda varietate captæ, pro lubitu, quæ linguæ Belgicæ peritiam habent, *Jac. Catzii* operibus invigilent, carmine facillimo & dulce fluenti palmam in hoc genere meriti, ubi Virginum, Matronarum & Viduarum ſtatus graphice depingitur. Si ſcribendi ſolertia gaudeant, ſequantur *Teclam* nobilem apud Ægyptios feminam, quæ Biblia eleganter ſua manu deſcripſit, adhuc in Angliæ Bibliothecis ſervata. Principes quique in præſidiis Reipublicæ collocantur, lectis veterum monumentis, quibus regendi præcepta continentur, diſcent

Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Incunabula Principum informabit *Xenophontis* Pædia Cyri, perficient *Palæologi* præcepta educationis Regiæ, & *Beliſarii Aquavivi* Libri de Principum Liberis educandis. *Platonis* Reſpublica & *Mori* Utopia ad perfectum Reipublicæ ſtatum in idea ducet. Princeps ex *Tacito* informatus reliquiſque Romanæ Hiſtoriæ aliarumque gentium ſcriptoribus, diſcet clementiam & juſtitiam, regni fulcra, publicamque rem prudenti conſilio adminiſtrandam, & imperii decus

privatis voluptatibus & affectibus præferre. Si minorum gentium Auctores infra Majeſtatem deſpiciunt, eligantur dignitate vel ſuperiores, ut DEI monumenta, exemplo Alphonſi ſapientis, qui quater decies Biblia cum Commentariis legit, vel æquales, Proverbia Regis *Salomonis* & ſapientiam, *Juſtiniani* Imperatoris Codicem, *Julii Cæſaris* Commentaria, Hiſtoricos Byzantinos, & hujus cenſus alia à ſummis Terrarum Dominis ſcripta & in Bibliothecis recondita non dedignabuntur admittere. Subjecti ſuperiorum Poteſtatum, quocunque nomine veniant, invenient in Libris quæ & doctos eos reddant & fortunatos. Nolo ſingulos Libros Eruditis legendos per partes recenſere, quia diverſo ſtudiorum genere calamus impeditur. Idque alterius eſt loci. Ab ingenuis artibus qui ſeparantur, Librorum uſu carere non poſſunt. Muſici Muſicos veteres habent à *M. Meibomio* editos, in quibus ingenium vocemque exerceant ad ravim uſque. Taceo tot Muſicorum lineis notiſque ſignata volumina, quæ vel plauſtra integra impleant, quorum rationem ex intima eruditione in Logiſtica Harmonica perſequitur *Joh. Corvinus* noſter, & in Muſurgia *Kircherus*. Pictores artis ſuæ principia antiqui-

tatemque

tatemque omnem ex *Junii* & *Schefferi* de pictura hauriunt, & Pictorum vitas a *Carolo van Mander*, noſtri Avo Belgicè, a *Carolo Dati* nuper Italice deſcriptas inſpiciunt. Colores ex *Portio* & *Thyleſio*. Cælatoribus ſcriptus eſt liber A *Boſſe* Gallicus de modo per aquam fortem æs incidendi. Gladiatores *Johannem Wilhelmum* noſtrum ſequuntur, alioſque qui arma in Libris tractarunt, inter quos *Franciſcus Alfieri* Patavinus, Libro quem la Bandiera inſcripſit. Quibus lucem ab antiquitate fœnerantur, *Lipſius*, *Mercurialis*, *Faber*. Architecti *Vitruvium* venerantur. Statuarii doctiſſimum *Bulengeri* opus de Pictura, plaſtice & ſtatuaria conſulant, *Florianum Dulphum* de Sepulturis, Capellis & ſtatuis, *Figrelium* de ſtatuis Romanorum, *Joannem Blum* de Columnarum Symmetria. Mercatoribus ex uſu erit evolviſſe JCtos de Cambiis, & *Rotæ Genuæ* de mercatura & rebus ad eam pertinentibus Deciſiones, ut & *Joh. Marquardum* de jure mercatorum & commerciorum ſingulari. Nautæ adeant de Re navali Veterum *Bayſium* & *Schefferum*, de navali Hiſtoria *Rivium*, Problemata nautica *Kekermanni*, *Petrum Nonium* de navigandi Arte ejuſque regulis & Inſtrumentis, Navigationes varias typis

typis conſignatas, & Mappas Hydrographicas. Quibus annumerari meretur Liber à Magno Etruriæ Duce Magnis ſumptibus procuratus, *Arcano del mare*, tribus voluminibus prolixe utilis, quem pro ſingulari in Literas & Literatos amore Bibliothecæ publicæ nuperrime dedit Illuſtris Heros, Dn. *Oligerus Wind*, Ser. Reg. Majeſt. Architheſaurarius & Conſiliarius, quo liberali dono nos plurimum illi publico nomine debere publice fatemur. Piſcatores *Dubravium* de piſcinis, Venatores *Arrianum*, quem dedit *Holſtenius*, *Natalem Comitem* alioſque invenient. Lanii Rabbinorum tractatum ſibi curent explicari ab eruditis hujus linguæ, de Arte mactandi. Coloni & Agricolæ *Varronem*, *Catonem*, *Columellam*, *Palladium*, *Geoponicorum* Volumen, *Hereſbachium*, quando a vomere ferientur, expendant. Inprimis *Renatum Choppinum* de Privilegiis Ruſticorum prece pretioque quocunque conquirant. Sed nuſquam comparet. Raram enim ejus Libri editionem inter deperditos deplorare poſſunt, præſertim cum ſeculo ſuperiori Coloniæ vel Pariſiis impreſſus prodierit, nam ſi exemplaria quædam adhuc ſupereſſent a militari manu, quæ jam ex Gallia Rheni viciniam depopulatur, diſtra-

diſtraherentur. Opportune militum facta mentio, apud quos, ſi parcere velint, Librorum pretium vileſcere non debet. *Vegetius* de Re militari, cæterique Stratagematum & Tacticorum Auctores ex Veteribus celebrantur. Inter novitios *Lipſius*, *Salmaſius*, *Naudæus* in hoc campo Martio deſudarunt, ſed inermes. Auxit argumentum *Herm. Hugo* de Militia Equeſtri, ut alios hujus claſſis ſicco pede præteream, qui novorum bellorum apparatum pertractarunt, & in charta acies inſtruxerunt, calamo non ferro, ſepia non purpureo cruore uſi. Omnibus, ut brevi præcidam, ad Libros legendos occaſio ex ſingulorum officio naſcitur. Sunt qui omnes Libros evolvere tenentur ſi poſſint, alii omnem quibusdam legendis neceſſario impendunt operam. Hi omnes, magni, medii, medioxumi, ad ſalutem *Biblia*, ad ſecuritatem Jus publicum vel privatum, ad Sanitatem *Medicos* Auctores domeſticos, ad ſapientiam *Senecam*, ad voluptatem Poëtas, Hiſtoricos, Fabulatores per vices & intervalla perlegant. Hinc ne Laici aut qui literis imbuti non ſunt, bonis iſtis priventur, propriis gentium ſingularum linguis & characteribus Libri laudati proſtant. At qui famam eruditi & Polyhiſtoris am-

 biunt,

biunt, omnium Librorum notitia inſtructi, omnes legant, ſi ætas permiſerit, ſi vires ferant, ſi à publicis muneribus detur vacatio, vel ex omnibus maxime neceſſarios, vel ex neceſſariis optimos & materiæ ratione, & Auctoris & Editionis. Dum omnes ſuadeo, obſcœnos Auctores diſſuadeo, ex quibus plus damni quam voluptatis, Poëtas caſtratos admitto, libros Amatorios concedo, ſi puris oculis legantur à junioribus & cum grano ſalis. Nam *Nigronius* de Librorum Amatoriorum Lectione ſcrupuloſus eſt. Denique Paganos ſcriptores ita legendos volo, ne Deorum fictitiorum cultus introducatur, aut Paganiſmi reliquiæ inter nos diſſeminentur. Hinc à *Jul. Cæſ. Scaligero* vapulat *Sannazarius*, quod in divinis de partu Virginis verſibus Phœbi Muſarumque nomina interſeruerit. De qua re inter *Heinſium* Auctorem Herodis Infanticidæ, & *Balzacum* Literariæ concertationes quoque ortæ, quibus ſe *Salmaſius* interpoſuit. Nec Ethnicos ſcriptores laudari nimium vult *Poſſevinus*, niſi ſimul errores illorum detegantur. Ut ſcopum ſuum felicius aſſequatur lector ad eruditionis culmen aſpirans, nullum temporis momentum ſibi efluere ſine lectione patietur, ut multitudini rerum legendarum

ætas

ætas brevis ſufficiat. Neque enim dormientibus nobis myſteria ſapientum panduntur, licet cum *Coo* noſtrò in templo Æſculapii dormiamus. Vigilantibus jura veniunt. Omnibus ingenium manet, modo permaneat ſtudium & induſtria. Nocte dieque domi foriſque Legem ſuam volvi & revolvi juſſit *Jehovah.* Alexander Magnus ne à legendo vacaret unquam, etiam magnis expeditionibus occupatus, *Homerum* ſecum in theca aurea geſtavit. Carolus Quintus *Thucididem* ſemper circumgeſtaſſe in exercitu dicitur, ſed gallicè redditum. Camerarius Reginæ Æthiopum in curru legit Prophetam *Eſaiam.* *Plinius* inter venandum & in ipſo terræ motu a lectione ſibi non temperavit. Hieron in navi Bibliothecam habuit, teſte *Athenæo.* *Cato* tanta doctrinæ cupiditate flagravit, ut ne in Curia quidem, dum ſenatus cogebatur, abſtinuerit, quo minus Libros Græcos lectitaret: qua quidem induſtria oſtendit, ut ad rem *Val. Maximus*, aliis tempora deeſſe, alia temporibus ſupereſſe. *Gellius* cum non ſufficerent dies, noctes legendo addidit, Noctes Atticas ſcribens. Et *Tullius* paradoxa ſua contractioribus noctibus elucubravit. Hinc lucernam olere dicebantur lucubrationum opera. Xerxes ſeu

Ahaſverus noctem legendis Chronicis fatigavit. Nec in conviviis Romani parcebant lectioni. Certe apud *Pomponium Atticum*, antiquitatis amatorem, nunquam ſine aliqua lectione cœnatum eſt, ut non minus animo, quam ventre convivæ delectarentur, ſicut de optimo Viro *Corn. Nepos* memorat. Romani certe Rerum potiti Bibliothecas in balneis, thermis & villis ſuis habuerunt, ne in maximo ocio à legendo vacarent. Diffitendum interim non eſt, alia in homine optanda eſſe, alia laudanda. Optamus aſſiduos in legendo labores, ſed laudare vel valetudinis cauſa, vel aliorum negotiorum, quæ ex nobili aliquo officio incumbunt, non audemus, nec ſerio ſuadere. Ita quippe legendum, ut diu legas, nec alia negligas. Nec noctem lectionibus aptam judico, nec cœnam, præſertim ſi ætas ad ſenium vergat. Prius meo periculo didicì, poſterius aliorum. Lucubrationibus enim in longam noctem protenſis incaleſcit caput, ſpiritus debilitantur, oculi lumine externo obtunduntur, unde capite accenſo attrahuntur velut in cucurbitula humiditates, hinc defluxus catarrhi ad oculos, fauces, nares, pectus, Stomachum. Oculi id incommodi tra-

hunt

trahunt, quod nubeculæ ſœpe remaneant, & ad ſenectutis annos in officio nequeant perdurare. Taceo, tempus quieti & ciborum coctioni deſtinatum, naturæ furto ſubtrahi. Inter cœnandum vero & prandendum ſermones convivales jucundos laudamus, qui animum facilem reddant, ne ſerioribus acroamatis intenti ſpiritus, à ventriculo avocentur, velut ignis ex culina, magno coctionis damno. Nec continuis ſtudiis diurnis defatigandum cerebrum, laſſandus animus. Sint ſua cuique tempora & penſa. Exercitationibus corporis aliquæ ſubinde per vices dandæ horæ, ſed moderatis, ne ingraveſcant corpora, & habitationi mentis, Divini incolæ, reddantur minus idonea. Ad pilam, aut ad talos, aut ad teſſeras ſe conferunt, qui laborum graviorum inducias quærunt, aut etiam novum ſibi ipſi, ſed honeſtum aliquem excogitant in ocio ludum. Sic, ſi ludos averſamur, a lectione ſeverioris doctrinæ feriati, vel ad Poëtas, vel Geometras, vel Muſicos, conſilio *Tullii*, nos conferimus, vel picturas, vel, quod palmarium, ad eruditorum colloquia. Senes anagnoſtis veſpertinas horas terant, propriis oculis parcentes, vel ſi negotiorum neceſſariorum mole cogantur ad lucernam neglecti diei reſarcire, umbracula inter-

terponant, vel colore viridi librorum folia tingant, ne lumini oculorum imbecilli, lumen candelæ officiat. Hinc prudenter olim, *Iſidoro* ſi credimus, peritiores Architecti neque aurea lacunaria ponenda in Bibliothecis putarunt, neque pavimenta alia, quam e Caryſtio marmore, quod auri fulgor hebetet, & Caryſtii viriditas oculos reficiat. Medicinæ præcepta in omni vitæ genere ſervanda, quæ Librorum helluonibus, qui chartis ſemper impalleſcunt, in memoriam revocare officii mei partem exiſtimo. Et ſi me audire velint, exemplo meo diſcant, quod ſerius didici, poſt cœnam lectioni & ſcripturæ parcere, noctem quieti concedere, nunquam de die mediam horam ſedendo, ſcribendo aut legendo continue impendere, ſed vel ſtando, vel ambulando legere, & ſcripturam quouis horæ quadrante interrumpere. Ita à me jam à multis annis ſtudia tractantur, quia ſine ſanitatis detrimento, aliam vitæ rationem non licet inire. Fateor peccaſſe me junioribus annis intemperantia quadam ſtudiorum. Sed ſpectandum quid fieri Romæ debeat, non quid factum ſit. Conſilia meliora melius edoctus & meo & aliorum exemplo dare poſſum. Vidi enim multorum hic naufragia, cum alii nunquam interrupta

Li-

Librorum lectione, amore honeſto plurima diſcendi, vel fatalem horam antevertant, in flore ſtudiorum ſine fructu marceſcentes, vel oculis flaccidis excæcentur, vel jugi catarrho infeſtentur, vel tabe pulmonum conficiantur, vel anthritide & calculo torqueantur, vel ſcorbuto & Cachexia torpeant; alii vel bene gerendarum occaſiones negligant, vel fortunæ ſuæ minus proſpiciant, quam in ſe nihil legendo, ſed ſtrenue curſitando, ignavi & literarum rudes derivant. In bonis omnia quæ ſumma ſunt laudantur jure, ſed ſine jure algent. Video melioris indolis ingenia quædam, pauciſſima tamen, rebus aliis, quæ oculis ſplendore aliquo vel divitiarum vel honorum vel voluptatum blandiuntur, lectionem meliorum Codicum aſſiduam præferre, bonis animi immortalibus contenta. Laudo iſta, ſed commiſeratione ſiniſtri fati, quod nimiam diligentiam comitari ſolet, condoleo. *Galenus* Medicus conqueritur, quod nimio literarum ſtudio, aliquando in Diariam inciderit. Alibi alios morbos ex eadem aſſiduitate recenſet. Quid illis fiet, qui cum Galeno paria in literis faciunt, non in medendi arte. Maxime dolenda illorum ſors iniqua, qui multa legendo & ſcribendo plurima, quibus & ſe & patriam ab oblivione

vin-

vindicent, dum intra Muſæi Librorumque clauſtra deliteſcunt, in Republica ignorantur & in vicinia, quorum fama orbem pervolitat eruditum. *Theophraſto* Viro ſummo idem accidit, de quo prodiderunt veteres, cum percunctaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet, & reſpondiſſet illa, atque addidiſſet, Hoſpes non pote minoris: tuliſſe eum moleſte ſe non effugere hoſpitis ſpeciem, cum ætatem ageret Athenis, optimeque loqueretur. Non terreant nos veſtigia. Contra vulgi vel judicia vel negligentiam alacrius aſſidua lectione, ſed pro ratione virium, aſſurgamus ad immortalem laudem, ut ſi deſtituamur præmio lectionum, ipſos nos non deſtituamus fructu ſcientiarum & invidenda animi beatudine. Si relinquamur à laudatoribus plurimis, ſufficiet nobis vel unicus ſapiens, cui placeamus, cui legamus & ſcribamus. Ita ſe geſſit *Antimachus* clarus Poëta, qui, cum convocatis auditoribus, legeret illis magnum illud Volumen ſuum, & eum legentem omnes præter *Platonem* reliquiſſent, legam, inquit, nihilominus: Plato enim mihi unus inſtar eſt omnium. Nullam remoram injiciunt magna volumina, quibus legendis citius defatigantur oculi quam animi. Sunt quippe alia, quæ curſoriis oculis

&

&fugientibus pervolvenda, ut vaſta quædam Volumina integram Bibliothecam implentia, alia accuratiori ſtudio & ſæpius inſpicienda, ut in ſuccum & ſanguinem vertantur, qualia mediocria ſunt, cuique facultati neceſſaria. De illis Conſilium dedit *Martialis* acutus:

Si nimius videar, ſeraque coronide longus
Eſſe Liber, legito pauca, libellus ero.

De his ſalutaria monita in Epiſtolis *Seneca* tradidit, totius ab aliis exſcripta, ut crambem recoquere nolim. Verbo dicam. Multi quidem libri legendi ſed paucis immorandum, cum nuſquam ſit, qui ubique eſt. Ne lectio multorum omniſque generis voluminum habeat aliquod vagum & inſtabile, certis ingeniis immorari & innutriri oportet. Vere enim *Juris Conſultus* in Codice: Vagus ſcholaris non fiet Magiſter. Aliqui Libri nobis ſint inquilini & domeſtici, alii ut hoſpites, quos data occaſione accipiamus. Quemadmodum qui ſuſcipiunt peregrinationem longinquam, alicubi quidem divertunt noctemque commorantur, alicubi ſolum prandent, alibi vero diebus aliquot ſubſiſtunt, & alia curioſe, alia obiter ſpeculantur: re-

verſi proprias inhabitant domos; ſimiliter de literarum ſtudiis judicandum docet *Nicolaus Damaſcenus*, idem de lectione librorum inculcamus, ut aliqui obiter & perfunctoria opera, aliqui accurate excutiantur. Neque enim memoria omnibus ſervandis, ſed legendis melioribus pro cujuſvis inſtituto, cura ſufficit. Hinc multos Libros an habere conveniat, memoriæ cauſa, deciſum fuit in conſiliis ab *Adrado de Ponte*, & *Jo de Nevizanis.* In his *Epaminondæ* exemplo legimus, qui cum in circulum veniſſet, in quo aut de Republica diſputaretur, aut de Philoſophia ſermo haberetur, nunquam inde prius diſceſſit, quam ad finem ſermo eſſet deductus.

Ut memoriæ fugienti conſulatur, qua parte animi, quæ cuſtos eſt cæterarum ingenii partium, nonnulli tam debiles ſunt, ut ne in ſcripto quidem meminerint, quid paulo ante poſuerint, & ex tempore dicturis ſolita mens efluat, duo adminicula commendantur, vel excerpendo, vel indices conficiendo. Nihil de frequenti lectarum rerum repetitione hic dicam, nec Artem Reminiſcendi à multis cultam advocabo, quam frequens exercitium provocat ſuis locis auctoribuſque relinquendam. Pythagoræorum morem hic laudare ſatis

tis eſt, quos imitatus *Tullius* Senex, exercendæ memoriæ gratia, quid quoque die dixiſſet, audiviſſet, egiſſet, commemorabat veſperi. Nam, quod ſuaſit *Quintilianus*, ut cibos manſos ac prope liquefactos, demittimus, quo facilius digerantur, ita lectio non cruda ſed multa iteratione mollita & velut confecta, memoriæ imitationique tradatur. Quo conſilio *Fortius Ringelbergius* voluit ut quicquid legatur, apud alios recitetur, & vel precibus vel pretio Auditores conducantur, ſi deſint qui recitationi interſint, quo artificio inter æquales me olim in juventute uſum recordor, non ſine emolumento linguæ, memoriæ, judicii. De arte Mnemonica id monendum, magnum ejus eſſe uſum in numeris, nominibus propriis & ſerie rerum, ſive per locos imaginarios ſive picturas. Picturis imaginariis Aſtronomi nos ad cœlum ejuſque ſidera vocant, per currus, coronas, Pegaſum, Cygnum & alia. Geographi quoque per Tabulas ſeu Mappas Terrarum ſitum adumbrant. Prolixus fuit in Mnemonica arte perficienda labor *D. Pauli Moth*, nuper pie defuncti, qui Chronologiam univerſam, Radices linguæ græcæ, Titulos omnes Juris, Aphoriſmos Hypocratis, ſimplicium medicamentorum catalogum, & alia per imagines ve-

veras æri inciſas certiſque hiſtoriolis, quibus ſingulæ res lingua vernacula includuntur, comprehenſas ante oculos poſuit memoriæ juvenili ſenilique ex æquo inſervituras. Quo compendio etiam Doctiſſimos Hiſtoricos uſos ſcimus in rerum temporumque ſerie enumeranda. Unica tantum difficultate laborare videtur iſte diſcendi legendique modus, quod duplici memoriam onere aggravet, rerum ſcilicet diſcendarum, & figurarum, quibus res adumbrantur. Sed cum tempore, his evaneſcentibus, illæ memoriæ infixæ remanent. A phreneſi ſecurum tyronem eſſe jubeo, niſi erudito hoc principio abuti velit, & ſine finis utilis reſpectu hic ſubſiſtat. Blanda memoriæ adjumenta juvenes, velut neſcios, ad rerum ſeriarum penetralia ducunt. Frequentior tabularum uſus apud pleroſque, memoriæ in ſubſidium mittitur. His Hippocratem *Zuingerus*, Anatomen *Vaſſæus* & *Platerus*, Pharmaca Fuſchius, Chronologiam Helvicus, Hiſtoriam & Inſtitutiones Juris *Claud. Moron*, Jus Civile & Canonicum *Freygius*, ſcripturam ſacram *Brandmullerus*, Inſtitutiones Medicas Sennerti *Winckelmannus* expoſuerunt, & unuſquiſque uno quaſi conſpectu repræſentare poteſt methodo perſpicua

cua Librorum materiam. Melius labentis memoriæ ſubſidia quærunt, qui *Abenſinæ*, ſeu *Avicennæ* & *Plinii* exemplo, nihil legunt, quod non excerpant, & in Locos Communes digerant. Modum nemo fidelius docuit quam *Drexelius*, & non ita pridem *J. P. Titius* & *Kergerus*. Ego, quamvis hujus methodi uſum neglexerim, incipientibus ſtudiorum annis inceptæ, creſcentibus abjectæ, ſed inſigni meo damno, qui labenti memoriæ nimium fidebam, auctor tamen eſſem Tyronibus, compendium novorum titulorum facturis, ut in qualibet facultate ſibi deligerent Epitomen quandam, ad quam omnia quæ in lectione Librorum occurrunt notatu digna, ſuo loco breviſſime annotentur. Syſtema Theologicum *Brochmanni* noſtri, vel ejus ſynopſis à *Bircherodio* edita, Theologis pro Locorum Communium compendio & Indice inſerviet, quo referre poſſunt quicquid in aliis obviam erit ſive literalem Textus ſacri ſenſum ſpectet, ſive Controverſias, ſive Caſus Conſcientiæ concernat. Qui ab his diſſident, vel *Becani* Manuale, vel *Wendeli* Epitomen Theologiæ ſibi habeant, qui iſtis ſacris addicti ſunt. In Jure *Schotani* Examen Juridicum, quo olim nos uſi ſumus, pro norma erit,

niſi Titulos Juris cum *Mommerio* malis, quos pro locis ſufficere vult, ego abundare dixerim. In Re Medica *Sennertus* voto ſatisfaciet, amplo compendio rerum fere omnium in Medicina occurrentium Synopſin & velut indicem complexus. Ad alios non transgredior, ne ſim longior. Philoſophi & Philologi rerum ſuarum compendia quærant paſſim proſtantia, ſi laborem novos titulos adornandi faſtidiant. Illi *Alſtedium Timplerum* habent, & compendia Philoſophica *Parentis noſtri* beati. Antiquarii profani *Lipſium*, *Roſinum*, *Phil. Carolum* augeant, ſacri *Joſuam Arndium*. Hiſtorici *Cluverum*, *Turſellinum*, *Jonſtonum*, *Micrælium* ſibi proponant, ad quos lecta referant. Et ſi plura in legendo occurrant, quæ ad laudatos titulos non pertinent, ea libro Adverſariorum ſingulari demum annotentur, ad quem, ubi opus, confugiat Lector. Alterum memoriæ fulcrum, indices præſtant, vel ſingulorum Librorum, vel ſingularum Facultatum, vel omnium cujuſcunque facultatis Librorum. Non de indicibus loquor, ſeu librorum titulis, ſicut accepit *Suetonius* in indice Libri Claudii Cæſaris, qui erat Μωρῶν ἀνάστασις: ſed de argumentorum ſummariis ſuo ordine diſ-

diſpoſitis. Hi indices ſingulis Libris ſubjecti indice quaſi digito monſtrant ea quæ in Libro continentur, ad quos recurrit memoria, ut operæ faciat compendium. Abutuntur vero iſtis negligentiores, neglecta Librorum lectione huc confugientes, & imperiti, qui, ut inclareſcant, ex indicibus opera ſua exſtruunt. Atſi major ſit Libri moles, quam ut ſemel pervolutatus Lectoris feſtinationem diutius remorari debeat, poſtulante occaſione, ex indice memoria colligit, quæ relegere placet. Triplex vero in accuratioribus Libris Index conſpicitur, Rerum & Verborum, Capitum & Auctorum laudatorum vel emendatorum. Nam Regiſtrum, ut vulgo appellatur, in vetuſtis editionibus ad calcem Librorum legi ſolitum, bibliopegis in ligandis Libris inſervit, ut ſciant an per quaterniones vel duerniones complicentur folia, & ut illorum defectus præcaveatur. Rerum Index recentiorum induſtriæ debetur, quem nec in Manuſcriptis, nec primis editionibus invenias. Vel is libro annectitur, vel ſeorſum legitur. Seorſum indices in res Variorum Auctorum proſtant. In Biblia *Toſſanus*, *Piſcator*, *Ravanellus*, præclare rem confecere. Quo Concordantiæ Bibliorum referuntur.

runtnr. Rerum forenſium Indicem *Budæus* confecit, & in Jus Danicum *Oſterſonus*, in Norwegicum illuſtris *Bielckius.* In Galenum *Braſſavola*, *Pinus* in Hippocratem, *Aldus* in Plinium accuratos indices ediderunt. Et in omnes Medicos Antiquos præſertim Arabes *Jacobus de Dondis* Patavinus, titulo promptuarii Medicinæ, cui ſimiles ſunt Pandectæ Medicinæ *Matthæi Sylvatici.* Ipſe *Plinius* Librum primum ex indice condidit. Verborum index alteri plerumque jungitur. Tam ille ab eruditis accuratus prodiit, ut Commentarii vice & Lexici ſit, ſicut Index *Giſanii* in Lucretium, *Elmenhorſtii* in Apulejum, *Rhodii* noſtri in Scribonium, *Loccenii* in Curtium, *Boecleri* in Nepotem, *Freinshemii* in Juſtinum. Sunt iſti ſœpe indices libro, cujus indices feruntur, præſtantiores, ubi plus invenias ſucci quam in corpore ipſo. Seorſum exſtant Indices verborum literatiſſimi, & eruditione conſperſi in N. T. *Paſoris*, *Vechneri*, *Lubini*, *Suizeri*, *Lucii*, in LXX. Interpretes *Roſenbachii*, in Hippocratem *Galeni*, *Erotiani*, *Stephani*, *Foëſii*, *Gorræi*, *Ballonii*: In Vitruvium *Philandri* & *Ubaldi Baldi*, in Jus Juſtineaneum *Hotomanni*, *Lindenbrogii*, in Ciceronem *Nizolii*, in Homerum

rum *Couloni*, *Porti* in Herodotum, Theocritum, Pindarum, ut plures alios omittam. Capitum ſeu ſectionum Index, nec novus eſt, nec antiqus. In primis editionibus tantum comparet. Neque enim Antiquorum Libri per capita fuerunt diſtincti, ſed Voluminibus. Ita *Plinius*, *Herodotus*, *Thucydides*, *Livius*, *Saluſtius*, & alii Græci pariter & Latini Auctores totum opus ſine diſtinctione Capitum pari tenore perſcripſerunt, ut ſcilicet tranſultoriam quorundam per capitum titulos & Librorum indices eruditionem perſtringerent, judice *Salmaſio.* Hinc cum à poſterioribus ſcribis per Capita & Sectiones Libri Auctorum dividerentur, ſœpe ſine cura & conſilio, conjuncta fuerunt ſeparata, & vice verſa, quod non raro lectorem in lectione turbat. Per partes nolo hæc deducere, ne obruar rerum occurrentium & Librorum multitudine. Olim Sydræ vel Sectiones Vetus Teſtamentum diſtinguebant, ſine capitum diviſionibus à Chriſtianis demum ſive *Stephano Langton*, ſive *Hugone Cardinale* inventis & poſtea à Judæis receptis, quia utiliſſimum memoriæ ſubſidium vocat Elias Levita. Pſalmi Davidis in Libros quinque dividuntur a *Tremellio.* De N. T. dubitant, & a quo in capitula &

verſiculos ſit diſtinctum. De quo Antiquarii ſacri conſulantur. Certe per iſta capita, quæ in noſtris editionibus omnibus viſuntur, Novi Fœderis ſcriptores olim diſtinctos non fuiſſe, *Suidas* indicat. Titulum ille notat differre à Capite. Nam *Matthæum* habere titulos LXVIII. capita vero CCCLV. *Marcum* titulos IIL, & *Iohannem* titulos XVIII, capita CCXXXII. Differentiam quoque à noſtris iſta κεφάλαια teſtantur, quæ ex Bibliotheca Regia Pariſienſi non ita pridem ad calcem N. T. editionis Pariſienſis *Stephanianæ* & Leidenſis *Elzevirianæ* adjungi cœperunt. Nam hic in *Matthæo* κεφάλαια LXVIII, quæ tituli *Suidæ*, numerantur, in *Johanne* XVIII. In noſtris *Matthæus* tantum habet XXVIII. ſed *Johannes* XXI. Præterea primum in noſtro *Matthæi* caput genealogiam & conceptionem Salvatoris abſolvit, in illo de Magis agitur, quod capitis ſecundi in noſtro initium eſt. In *Johannis* capite ſecundo, ſicut vulgo. Diſtinguitur Evangeliſta, nuptiæ in Cana Galilææ celebratæ enarrantur, quæ in priori diviſione caput primum auſpicantur vel implent. Idem de cæteris eſt judicium ſi inter ſe vel obiter conferantur. Nihil nos turbet κεφαλὶς βιβλίȣ in Epiſtola ad *Ebræos*, quod

Beza

Beza caput libri vertit, & *Anglus* interpres, *the beginning of the booke*; principium Libri, & Reſenius in nova verſione, Forſt i Bogeri. Rectius *Danus* vetus & *Germanus*, abſolute Librum. In Pſalmo enim XL, unde hic textus manavit, מְגִלַּת legitur, Volumen Libri, qui more antiquò apud Ebræos & Romanos convolvebatur, unde preſſe fontem hunc imitata verſio noſtra *Vulgaris* noviſſima à magnis Theologis *Reſenio* & *Suaningio* procurata, in Pſalmo legi jubet Bogens Rulle. Quod aliis quoque Interpretibus obſervatum. Ita in Italica verſione Deodatus, nel rotolo del libro. Nec denique negotium faceſſit nobis *κεφάλαιον* cujus fit mentio Ebr. VIII. 1. quippe quod ſummam libri ſignificat, unde frequenter in novo fœdere *ἀνακεφαλάιωσις* pro ſumma rerum dictarum adhibetur. Sic & Suidæ, *κεφάλαιον ἐπί τοῖς λεγομένοις*, ſumma eſt rerum quæ dicuntur. Nec verſibus, ſicut nos, ſua ſcripta diſtinguebant Veteres. Verſus quidem Hieronymus nominat, quibus Prophetas diſtinguit, de colis tamen verſuum explicat *Caſſiodorus*. Verſus, quibus *Ciceronis*, *Ariſtotelis*, *Zoroaſtri*, *Lyci*, *Juſtiniani* opera dicuntur diſtincta, de lineis potius accipiendi, quam veris verſibus.

 Unde

Unde enim tot myriades verſuum? Dubitat de his *Lipſius*, qui videndus, quanquam de verſibus in *Juſtiniano* malit interpretari Vultejus. Auctorum denique indices, qui in libris vel citantur vel emendantur, recentiorum curioſa ſedulitas invexit, licet facem prætulerit *Plinius*. Ad illos recurrimus quandocunque de Auctoris cujuſdam vel nomine vel ſenſu occaſio emergit. Nomina propria in ſacris monumentis obvia nonnulli ſibi ſumpſerunt explicanda. Ex aliis ſcriptoribus, præſertim antiquis, plures excerpſerunt, quæ ad Auctorum, quorum vel fama ſola ad nos vel ſcripta pervenerunt, notitiam ſpectant. Æras autem cujuſque ſcriptoris, ſeu Epocha, in hoc Catalogo maxime conſideranda venit, quam plerique in recenſendis Auctoribus alto ſilentio involvunt. Eam ſeculorum rationem habuit *Bellarminus* in Libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. *Helvicus* in Chronologia Univerſali, & *Suaningius* Samoënſis in Danica, paſſim ad ſua tempora Viros claros revocant. *Freymonius* affirmat ſe in Symphonia Chronologica Juriſperitorum tam veterum quam recentiorum ætates, nomina, mores &c. collegiſſe. Medicorum ætates ſparſim ſignantur in Vitis medicorum, quibus mul-

multum lucis attulit *Seb. Schefferus* in Introductione ex prælectionibus incomparabilis *Conringii* concinnata. Ante quem *Guolfgangus Juſtus* Chronologiam Medicorum diſtinctius tradidit & operoſius. Philoſophorum ætates conſignavit *Io. Iacob Friſius* in Bibliotheca Philoſophica. Mathematicos *I. B. Riciolus* in Almageſto tradidit. Ætatem Romanorum Auctorum auream, argenteam, ferreamque ex Pœdia Scioppii per compendium haurimus. In Hiſtoricis Romanis ſimilia *Hankius* tentavit. Nos in gratiam Lectorum novo perſpicuoque labore una Tabella omnium Facultatum ſcriptores claros ſecundum ſeculorum ſeriem diſtincto adumbravimus, publice in Bibliotheca publica ſuſpendenda, ad quam recurrere Tyrones queant quotieſcunque ex Capſula aliqua Librum ſibi perlegendum depromſerint, ut de vera Auctoris ætate ſint certiores. Singularum Facultatum Libri variis Indicibus Lectori cuicunque patent, quos familiares ſibi habere tenentur, qui certo ſtudiorum generi ſe addixere. *Bellarminus* ſcriptores Eccleſiaſticos pleroſque ad ſeculum decimum ſextum perduxit, *Sauſſæus* ad decimum ſeptimum. *Henr. De Gandavo* quoque per *Suffr. Petr. Leovardenſem*

ſtm editus. *Paulus Bolduanus*, *Voetius*, aliique operoſe ſed fere materiarum ordine ſervato Bibliothecam Theologicam, etiam ex recentioribus adornarunt. Nuperrime prodiit *Dorſchei* laborioſum opus in quo notantur omnes, qui quemcunque locum ſacræ ſcripturæ tractarunt. Index ille eſt ſpecialis in V. & N. Teſtamentum auctus à *I. Gramſio*. De Juris Conſultis *Lorichius*, *Fichardus*, *Gribaldus*, *Freymonius*, *Gentilis*, ſunt ſolliciti. Medicorum ſcripta *Geſnerus*, *Spachius*, *Gallus*, *Lindanus*, perſequuti ſunt, Mathematicorum *Voſſius*, Politicorum *Naudæus*, aliorum alii. Quis omnes recenſeat? Materiam ipſam & verba technica in Libris ſingularum facultatum occurrentia ſingularibus indicibus comprehenderunt Doctores eruditi, ſumme neceſſariis legenti, ſi vel Tyro vocabulorum, quibus artes docentur, ſcientiam deſideret, vel in ſtudiis provectiores memoriæ variis occupatæ conſulant. Auſim dicere nullius Eruditi Viri vel Tyronis erudiendi Muſæum his carere poſſe, velut Nomenclatoribus. Bibliorum Index quintuplex generalis Leidæ 1623. editus, uti & *Toſſani* Index Biblicus Theologo ſufficit, cum alterius Lexici Theologici ex Patribus & Theologis ſeculorum omnium

omnium adhuc defectu laboremus. Juris-Conſultis *Calvini* JCti, *Nebriſſenſis*, *Briſſonii*, *Hotomanni*, Lexicon Juridicum pro penu ſufficienti inſervit. Medici & generalibus Indicibus a *Bartholomæo Caſtello*, *Rhegino*, *Hanemanno*, aliiſque magna ſollicitudine congeſtis utuntur, & particularibus. Inter quos numerari debet Catalogus Plantarum Latinè, Græcè, Germanicè & Gallicè à *Geſnero* conſcriptus, *Brunsfeldii* Onomaſticon ſeu Lexicon medicinæ ſimplicis, *Remacli Fuſchii* Nomenclatura Plantarum omnium, quarum hodie apud Pharmacopolas uſus eſt magis frequens juxta Græcorum, Latinorum, Gallorum, Italorum & Germanorum ſententiam, cui tamen *Schröderus* Palmam præripuit, *Martini Rulandi*, *Guil. Ionſonii* Lexicon Chymicum, & *Ger. Dornii* Clavis Philoſophiæ Chymiſticæ, Directorium Practicum *Moroni* a *Seb. Scheffero* auctum, ſeu Index omnium Obſervationum Medicarum ſparſim editarum. Philoſophorum filii gaudent *Goclenii* & *Micrælii* Lexico Philoſophico, Geographiæ ſtudioſi Lexico Geographico *Ph. Ferrarii*, *Caroli Stephani*, *Abr. Ortelii*, Poëtæ dictionario *Baſilii Zanchii*, *Car. Stephani*, *Natalis Comitis*, Critici Lexico Critico

Rob-

Robbigii Paræi. Philologi tot habent multarum linguarum Lexica, Onomaſtica, Theſauros, Dictionaria, Nomenclatores, ut multitudine laborare potius videantur, quam defectu, licet in Latinis non pauca ad perfectionem deſiderent magna ingenia, *Scioppius* in Conſultatione de Scholarum ratione, *Borrichius* noſter in Diſſertatione de Lexicorum Latinorum Jejunitate. Tandem ut ad generales omnium Facultatum Indices ſeu Catalogos deſcendam, vel publicarum Bibliothecarum Libri recenſentur, vel privatarum. Illi vel ſunt univerſi orbis Literati, vel ſocietatis alicujus, vel Nationum ſingularum. Hi vel in publicum uſum collati, vel ſingulorum bono inſervientes, vel Auctione diſtracti, & ementibus licitantibuſque in Librariis Officinis expoſiti. Utrique vel manu ſeu antiqua ſeu recenti ſcripti, vel typis variis impreſſi. Si ſingulis exponendis immorarer, diem dicendo protraherem, & Auditorum aures fatigarem. Aliunde peti poſſunt, quæ hic negliguntur, ne nimium, tædio Lectorum, excreſcat de Libris Commentarius. Secure quidem jam præterire plura poſſum, cum videam de Catalogis eorumque ſcriptoribus, *Geſnero* imprimis, & prohibitorum cenſura, juſto or-

ordine, nec minori labore & Judicio *Valentinum Henricum Voglerum* nuperrime Libro ſingulari egiſſe, quem Lectoribus commendo & ipſe mihi propoſuiſſem ſi ante mihi viſus fuiſſet, quam hiſce meis Colophonem adderem. Obſervandum interim de his verbo antequam diſcedam, varium eſſe in Librorum Catalogis Univerſalibus numerandis ordinem ſervatum. Aliqui ſeculorum ſerici inſiſtunt. Alii per Facultates & materias diſponunt. Nonnulli capſularum ſequuntur ductum & formarum. Plures Alphabeti ordine Auctorum nominibus vel prænominibus incedunt. Priores modi inſerviunt utilitati, poſteriores commoditati. Ibi doctius leguntur tituli, hic citius inveniuntur legendi. De Bibliothecæ noſtræ publicæ Catalogo, ut verbum addam, neſcios Vos eſſe nolo, præter particularem Indicem, qui cuique donario Librario proprius eſt & petentibus idoneus, adornare me communicato conſilio cum Conſultiſſimo Viro D. *Coſmo Bornemanno*, Profeſſore Regio, meo in Academia & Bibliotheca Collega honorando, Generalem omnium Librorum ordine Alphabetico ad morem Catalogi Bibliothecæ Oxonienſis a *Th. James* confecti ſine ullo materiarum diſcrimine, ut quæ-

rentibus Lectoribus ſtatim Auctor quicunque ordine nominis inveniatur. Quo labore defunctus & in lucem publicam emiſſo, non gravabor, ſi ad plures annos & curas DEUS vitam vireſque prorogaverit, alterum aggredi ſecundum ſeriem materiarum, ſingulis Facultatibus inſerviturum. Sicut in priori plus laboris inſumimus quam ingenii, ita in poſteriori majus in digerendo judicium eluceſcet, quam ſtudium in ſcribendo. Quicquid vel hic vel ibi conabimur, communi legentium commodo erit conſecratum. Vobis canam, ut olim Tibicen Antigenidas, & Muſis.

TH.

TH. BARTHOLINI
DISSERTATIO VII.
DE
LEGENDIS LIBRIS.

Judicium de ſcriptoribus ferendum à peritis. Electio ex optimis & neceſſariis, pro cujuſvis uſu vel genio. Ordo lectionis per compendia ſingularum Facultatum. Methodi breviſſimæ Auctores. Virtus interpretum. Obſtacula legentium ex notis. Punctorum origo. An Codici Ebræo coæva. Accentuum myſteria. Veterum ſcribarum notæ, ex primis Literis, earumque ambiguitas. A Juſtiniano abrogatæ. Sigla quid. Notarum celeritas periit. Chinenſium hieroglyphica. Notæ Caballiſticæ. Abbreviaturæ JCtorum, præſertim in allegationibus. Signa Ponderum in Celſo & Chemicorum damnata. Numerorum

rorum notæ ex Literis. Zifræ à Mauris introductæ, Baſilio quoque uſitatæ. In Algebra & Muſica notæ. Magicæ periculoſæ. Synalephæ vett. ſcribarumque inſcitia vel celeritas errorum cauſæ. Pandectæ Florentini an authentici. Permutatio literarum in Manuſcriptis.

AD portum properamus, vel, ut in Re Libraria maneamus, ad Libri expliciti cornua. De vero legendi Libros modo pauca adhuc reſtant, quæ delibare neceſſe nobis eſt, antequam finem Libro imponamus. Neque enim antea à nobis dicta ſufficiunt, niſi legentis judicium accedat, quo à bonis mala dijudicentur, & nobis cum fructu adjudicemus quicquid præclari Volumina Eruditorum pandunt. Multum hic, conſilio *Senecæ*, magnorum Virorum judicio tribuendum, aliquid & proprio ſuo quiſque vindicat. Ut filum quaſi Ariadnæum nobis quod ſequamur in hoc diſcurſu extendamus, judicium, quod legentibus commendamus, ferendum eſt de ſcriptoribus, de eorundem tractandi modo, & ſenſu Librorum aſſequendo. Breviſſi-

viſſimis his capitibus expediemus breviſſime quæ de judicio legentium porro neceſſario dicenda ſuperſunt, ſed dicam brevius quam res tanta dici deberet. De ſcriptorum vita & ætate circumſpiciendum judicio penſiculato, an ea doctrinæ ſive per experientiam ſive ingenii excellentiam magnitudine pollere potuerint ut legentium ſcopo ſatisfaciant, nec inter illos numerentur qui quo plus balbutiunt, plura loquantur. Deinde an ea fidelitate res ſuas chartis commiſerint, quam in Doctoribus deſideramus, qui invidiæ cauſas procul habent. Denique an ea Judicii dexteritate verſentur in ſuſcepto argumento quod par ſit rebus tractandis. Tandem an ea ſcribant eaque methodo, qua ſcribere debent, lectoreſque ſcientia exſatiant & diſcendi cupiditate impleant. Aliter ſi ſcriptores in officio negligentiores deprehendantur, cauto judicio ſe inde Lectores ſubtrahant, & ad legendos alios ſe conferant, qui doctè, perſpicue & debita fide ſcribunt. Sed vere *Hippocrates* noſter judicium difficile pronunciavit. Sœpe enim cœco judicio ſcriptores damnamus non intellectos, & inauditos in exilium relegamus. Fatum id fuit *Epicuri*, hominis temperatiſſimi, quem vulgus mortalium de grege porci traduxit, ſive quod

 non

non intellexerit eum de Voluptatibus animi non corporis diſſeruiſſe, ſive quod ejus doctrinam ex mala diſcipulorum diſciplina æſtimaverit. Melius de tanto Philoſopho ſenſit poſt *Laërtium Gaſſendus*, cujus præclarum opus de vita & Sententiis Epicuri habemus. Igitur moderatos in judicando nos eſſe convenit, perlecto integro, non parte, ne noſtro indicio velut ſorices prodamur. Nec temere iſta judicandi libertate utimur, niſi de Auctoribus quorum nos ſtudio addiximus. De Theologis Theologi, de Medicis Medici, de fabris fabri ſententiam ferant. Latet poſt Tabellam Apelles, qui ſutoris judicium ultra crepidam ſapientis irrideat. Theologorum *Bellarmini*, *Riveti*, *Cocci*, *Brochmanni* noſtri Cenſuras Patrum libenter legimus. *Gentilis*, *Freymonii* JCtorum Clariſſimorum elenchum omnium Auctorum, qui in Jure claruerunt, ſeu Librorum Juris Canonici & Civilis, quis non magnifaciat? Quis de Libris Orientalium Linguarum ſincerius judicet, quam iſtarum peritiſſimi *Buxtorfius* & *Hottingerus*? De Libris Græcorum ſententiam *Leonis Allatii* Græci laudamus. Politices doctrinæ ſcriptores nemo melius *Naudæo* commendaverit, qui in aula Romana tot annos cum plauſu trivit.

trivit. *Geſnerus*, ille multiſcius & in Re Medica verſatiſſimus de ſcriptoribus Medicis judicium haud contemnendum tulit, nec inglorie in campo deſudavit ex *Conringio Schefferus* Medicus ex Medico. *Hippocratis* ſcripta ad cenſuram vocarunt Medici exercitati & Literati *Mercurialis* & *Lemoſius*. De Romanis ſcriptoribus antiquis tot Criticorum judicia accepimus, ut vel minimi nævi ſint animadverſi, & quomodo ſint corrigendi *Robortellus* fuſius deduxerit, ipſe non ex trivio Philologus, ſed, ſi *Thuani* judicio ſtamus, qui majorem ſcriptis de ſe opinionem excitavit, quam implevit. De Hiſtoricis Romanis antiquis judicia *Sigorii*, *Bonifacii*, *Voſſii*, *Conradi Piceni* junioribus commendamus, nec minus judicia de Rerum Romanarum ſcriptoribus, quæ ex doctioribus congeſſit peculiari Opere *Martinus Hankius*, à *Q. Fabio Pictore* auſpicatus, qui ante Chriſtum 223. annis vixit, & in *Freinshemio* deſinens, quem fata 1660. Heidelbergæ mortalibus eripuerunt. A cujus erudita manu etiam de aliarum gentium ſcriptoribus judicia expectamus. *Verderius* plerorumque Auctorum veterum cenſorem egit, ſed cum rigidior fuerit, aliorum cenſuras effugere non potuit. Ita quippe temperanda judi-

cia noſtra, ne de aliis judicando, judicia acutiorum incurramus. Ex æquo judicio ſequitur electio meliorum ſcriptorum. Hoc cujuſque ſtudium erit, ut eos cum judicio eligat, quos inſtituto commodos noverit. Sœpe dictum memini, nec repetere erit tædioſum, multos pervolvendos, paucis inſiſtendum, iiſque melioribus, qui ita docent, ut diſcant Lectores. Qui vero eligendi ex tanta Auctorum multitudine, quibus aſſueſcas cupidum doctrinæ pectus, brevi pagina dici nequit. Opera hac egregie defuncti ſunt non pauci, qui de ratione ſtudiorum Libellos conſcripſerunt. Et duces in hoc itinere ſtudiorum eos quiſque deliget quos ſibi maxime profuturos Doctiorum conſilio & judicio perſpexerit. Non quid rerum perverſi judices, nec quid bajuli aut operarii, ſed quid homines doctiſſimi & in hoc vel illo ſtudiorum curriculo verſati ſentiant eligendum ad imitationem. Ex multis igitur optimi, ex optimis neceſſarii eligendi, quos vel proprium ſtudium, vel meliorum judicia commendant, vel genius peculiaris amat, & optima quandoque legendorum dux natura. Sœpe enim inter ſcriptores & Lectores ea eſt ſtudiorum voluntatiſque tacita quædam conſpiratio, ut ad hos magis ferantur ducanturque

que, quam illos. Hinc breves Commentarios quidam expetunt, quibus vel ocium anguſtius, vel genius capacior ad capeſcenda ea quæ breviſſime traduntur, alii per pluſculas periodos verborum ſententiarumque longo ambitu ad rerum cognitionem perducendi. Omnium artium Libri aliter ab iis tractantur, qui eas ad uſum transferunt, aliter ab aliis, qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil in vita aliud ſunt acturi. Non peto ut mihi dicenti credatur. Credite *Craſſo* apud *Tullium* ingenio minus craſſo. Huic ingeniorum diverſitati aptandi Libri, commendandi Auctores, ſeligendi ſcriptores; Sicut ex vario nervorum ſono in fidibus varius animorum motus cernitur, ut hic gravi, ille acuto afficiatur, ſic pro captu Lectorum Volumina explicanda. Ad ſeligendas quoque Librorum legendorum editiones, quas vel typi vel editores commendant, animum advertere decet, ſeduloque cavendum ne primæ præferantur poſtremis, in quibus ſœpe ſententias Auctorum mutatas vel illuſtri aliquo augmento ditiores reperias. Ordinem legendorum illi definiverunt, qui Rationem Studiorum in ſingulis facultatibus per partes docuerunt, hic neutiquam repetendi. Suos quiſque Doctores adeat. Ad me ſi ventum fuerit,

Tyrones Medicinæ & Artis filios ad *Jac. Sylvium*, *Campegium Lindanum*, *Kyperum*, *Rhodium* noſtrum amandabo, ut de ordine legendi Medicos Auctores conſilia petant. In univerſum ſuadere omnibus, cuicunque ſtudio addictis, intermittere non debeo, ut à compendiis legendis exordiantur, ſenſim ad majora Volumina adſcendentes. Quo pacto memoriæ ſine ambagibus conſulitur, animuſque brevem totius artis ideam concipit, poſthæc plenis majorum voluminum foliis amplificandam. Leguntur Libri, ut picturæ, aliter ab artificibus, à tyronibus aliter. Hi ut diſcant artem per compendia, illi ut de arte judicent. Utrique primum intuitum diffundunt in generali picturæ ſpecie & ſimilitudine contemplanda, mox hi colores & umbras, & veſtes, & alia ornamenta contemplantur, illi ulterius judicio progreſſi proportionem partium, colorumque mixturas examinant. Sic ſacris ſtudiis initiandi *Catecheſin* velut Fidei Chriſtianæ Epitomen menti imprimunt, antequam ad ipſa Biblia evolvenda, Patres, Commentatores, Caſuiſtas & Polemicos accedant. Juri Romano operam navaturi *Gothofredi* Epitomen inſtitutionum, Iſagogen ad Inſtituta Pacii, principiaque Juris percurrunt, antequam ad Inſti-

ſtitutiones Juſtinianeas, Pandectas, Codicem, Feudalium Libros, Conſilia & reſponſa Prudentum Juris Conſultorum ſe accingat, & *Lancellotti* Inſtitutiones præmittunt Juri Canonico. Medicorum παιδες ab *Hippocratis* Aphoriſmis brevibus illis & nervoſis auſpicia capiunt, in quibus plerarumque medecinæ partium rudimenta traduntur, ſed quia tyronibus ſubobſcuri videntur, ſimul inſtitutiones *Fernelii*, vel *Liddelii*, vel *Heurnii*, vel *Sennerti* minores vel Wormii noſtri, jungunt, donec ad ipſum *Hippocratis* Corpus, *Galenum*, *Avicennam* perveniant, Morborum particularium ſcriptores alios, Conſultatores & Obſervationum immenſas Pandectas. Per reliqua ſcientiarum artiumque genera decurrentibus eadem legendi methodus pro norma erit, ne volare incipiant, quam repere didicerint, & in vaſto Oceano mergantur nondum in alveis natare docti. Eruditis ordinem legendi proprium cujuſque judicium & ſuſceptæ materiæ penſum præſcribit, quibus nec præcepta damus, nec leges ſancimus. Nec tamen illi quanquam majoribus pares, à Compendiis abhorrent, memoriæ famulantibus. Concilia quippe in Epitomen à *Caranza* contracta ſervant Theologi, *Lacunam* Galeni Epitomatorem Medici

laudant, *Vigelii* Methodum Juris non faſtidiunt Juriſperiti, nec *Blendelium Rolfinciumve* Chymiam in Artis formam compendioſe redigentem Chemici ſpernunt, nec *Veſlingii* ſyntagma Anatomicum, noſtrique *Parentis* Inſtitutiones Anatomicas, non ſemel a nobis auctas & illuſtratas docti Proſectores negligunt. Hiſtorici *Florum*, *Juſtinum*, *Jonſtonum*, Politici *Lipſium*, *Arniſæum* in pretio habent. Philoſophi Peripatetici Præcepta *Parentis noſtri* non aſpernantur, nec Platonici *Acanthium*, nec Stoici *Lipſium* aut *Scioppium*, nec Epicurei *Gaſſendum*, nec Cartheſiani noviſſimi *le Grand*, nomine magnum Libro parvum, nec denique Mathematici Compendia ſua reſpuunt, inprimis Syſtema Mathematicum *Keckermanni* & noſtri *Hilarii*. Ad pompam alios ſervant, ad uſum quotidianum alios, ſicut in Veſtiario ad feſtos dies veſtes pretioſæ ſuſpenduntur, ad profeſtos dies viliores tunicæ, & in Armario arietes obſidionibus, fundi & pugiones levioribus velitationibus deſtinantur. Sic ordines ſuos ſervat eruditio & legendi ratio, pro cujuſque genio, ætate, indigentia. In quibus cum fructu, non voluptate ſeligendis, maturo judicio per uſum, ſtudium & naturam acquiſito eſt opus, ſi prudenter legere & lectis ſapienter uti velis,

lis, ut judicioſus tandem Lector & aſſiduus, velut apud *Tullium* domus Juris Conſulti, totius oraculum ſit civitatis. Non cumulabo præcepta de modo electos Libros legendi, ne poſt ampliſſimam aliorum meſſem vili Specilegio moleſtus fundi Dominis videar. Conſulantur magna ſeculi lumina, *Grotius*, *Voſſius*. In ſtudio Theologico *Gerhardus Parenſque* noſter memoriæ beatæ præiverunt ſtudioſis, poſtque eos non pauci, inter quos præfero *Voëtium* & *Crocium*. In jure olim *Caccialupus*, recentior *Vultejus*, noviſſime *Maſtertius* & *Thyſius*, amici noſtri, compendio negotium abſolverunt. In Arte Medendi *Parens noſter* Tyrones manuduxit. Ante illum Joh. *Heurnius*, &, qui Parenti ſucceſſerunt in hac palæſtra, *Lindanus*, *Horſtius*, *Kyperus*, partibus ſuis defuncti ſunt. De libris Hiſtoricorum legendis *Cambdenianus*, *Bodinus*, *Whear*, &, qui hos præceſſit *Magnus Baſilius*, omne punctum tulerunt, ſicut *Reineccius* & *Blondellus* ad hiſtoriam ſacram propius accedentes. Quis ſingulos enumeret, qui in legendis aliarum ſcientiarum Libris conſilia ſua non inviderunt poſteritati? Docuerunt hæc & alia multi fidelius, quam prompte diſcuntur à Tyronibus, qui vagas ſubinde lectiones certis

& ſeriis anteponunt, neſcientes quantas ſecum vires bona methodus ducat, unde plurimi nomen tantum librorum uſurpantes in externis ſubſiſtunt, & ignorare coguntur quid interiori nucleo valeant. Me ſi audiunt, verbo dicam: Cum delectu Libros eligant, & legant cum judicio, apes imitati, quæ vagantur quidem, ſed flores ad mel conficiendum idoneos carpunt, non fœtidos, deinde quicquid attulere diſponunt ac per favos digerunt. At ſiquidem pauci ſunt, qui tanta rerum omnium intelligentia muniti, ſibi tantum confidant, ut nullo egeant, aut proprio cortice in rapidiſſimis fluminibus ſciant natare, autor ſum, ut in legendis Veterum monumentis Lexica propria, de quibus pronuper aliquid monuimus, ſemper ad manus ſint, & Commentarii Virorum eruditorum, quorum uberrimus in omni ſcientia eſt proventus, Interpreteſque conſulantur. Sed ex his multis optimi advocandi, qui Auctorum textus explicant ex mente Auctoris, ſicut in *Hippocrate* verſati ſunt *Hollerius*, *Duretus*, *Martianus*, non ex propria onerent torqueantve, laudemque multiloquentiæ affectant, quo nomine Galenus male audit, non veritatis, non auctoris, non doctrinæ, non denique Lectorum cupi-

cupiditati velificantur. Singulos percurrere nec libet jam, nec licet. Dabitur alias occaſio, quando loculi Bibliothecæ publicæ excutiendi nobis ſunt, ut de multis quæ occurrerint, breviter pauca dicamus. Jam enim in generali Librorum lectione occupamur, de qua hactenus ſatis, ſed velut in idea, videmur in publicum protuliſſe, ſi prius obſtacula quædam removeamus, quæ in Lectionis progreſſu Lectorem remorantur. Paſſim in Manuſcriptis veterum Codicibus & Libris impreſſis, præſertim in Typographiæ incunabulis, notæ quædam occurrunt, quarum explicatio paginam hanc nobis abſolvet. Non ſermo eſt de linguarum characteribus cuique genti propriis, ſed de Notis, quæ vel periodos diſtinguunt, ut comma, colon, punctum, vel vocabulis adduntur ut accentus, vel voces contrahunt per ſolas literas & ſigna, vel rem quandam integram deſignant more Ægyptiorum, quales Medicis & Mathematicis adhuc in uſu ſunt. Accurata ſermonis diſtinctio per commata & puncta, quæ in Libris noſtris conſpicitur, apud Veteres non fuit obſervata, qui vel ſolo puncto utebantur, vel nullo. Solo puncto vel ſingula verba ſeparabant, ſicut Inſcriptiones Romanæ adhuc docent,
vel

vel periodos. Ubi plena ſententia finitur, punctum ad ſummam literam ponitur, ubi non multum ſupereſt de ſententia, punctum ad imam literam locatur ubi fere tantum de ſententia ſupereſt, quam præceſſit, & tamen, ut loquitur *Donatus* Grammaticus, reſpirandum eſt, punctum ad mediam literam poſitum. Quos punctorum ſitus varios ſecuta ſunt, neſcio quando, comma, colon, punctum ſolum. In Manuſcriptis deſiderantur, etiam in *Pandectis Florentinis* rara, in primis editionibus non ſemper comparent. Sine ulla Punctorum diſtinctione Inſcriptiones quoque Romanæ hodieque extant. *B. Hieronymus* primus in Bibliis vel verſus vel cola verſuum deſignavit, ſicut & ipſe fatetur & de eo teſtatur *Caſſiodorus.* Vocabulis ſingulis adduntur puncta ſeu accentus; Ebræis præſertim & Græcis. Romanis quoque fuere olim frequentiſſimi accentus, notæ vocum, voculationes & moderamenta dicta. Apud Græcos ante Pythagoram ignoti. Puncta Ebræorum ſeu accentus recentiores Lege Moyſis creduntur, a Maſorethis ſeu Thalmudiſtis quingentis poſt Chriſtum annis inventi. Sed textui eſſe coævos probat *Buxtorfius*, *Waſmuth*, & alii multi contra aliter ſentientes, inprimis

Ca-

Capellum, *Waltonum*, *Voſſium* juniorem. Rabinorum recentiorum ſcripta iis plerumque carent, & nonnulli adhuc Codices Ebræi Bibliorum. Unde *Gilb. Genebrardi* Εἰσαγωγὴ ad legenda ſine punctis Ebræorum & Orientalium ſcripta, Lectoribus inſerviet, uti & *Joh. Buxtorfii* Inſtructio ad lectionem Rabbinicam abſque punctis vocalibus. Hinc ex Accentibus Ebræorum myſteria multa eruere ſategerunt *Erpenius*, *Sam. Bohl*, & nuper *Waſmuth*, Literaturæ Ebraicæ periti Doctores & Clariſſimi. De ratione vero legendi voces Maſoræ decurtatas & abbreviatas idem *Buxtorfius* in Tiberiade, ſeu Commentario Maſoretico tradit more ſuo, hoc eſt accuratè. In Græcorum Latinorumque Accentibus explicandis parcam chartæ, ſive illi ſyllabarum brevitatem & longitudinem exprimant, ſive dimenſiones in altitudine, latitudine & longitudine metiantur, ſive modos diſtinguant, nam hæc etiam trivialibus nota ſunt & elementariis. Majori legentium obſtaculo notæ per ſolas literas, vel ſigna, vel abbreviaturas verba contrahunt. Non ſcripturæ elegantiæ, ſed celeritati per notas, ſcribas olim ſtuduiſſe *Galenus* noſter fidem facit. Et cum notarum uſus exoleviſſet, ſcribendi facultatem exercentes, ut celeriter dicta comprehenderent,

quædam verba atque nomina ex communi conſenſu primis literis notabant. Quod in nominibus, prænominibus, legibus publicis, Pontificum monumentis, Juriſque Civilis Libris diu manſit. Fuêre iſtæ notæ literariæ initio pauciores, deinde in immenſum excrevêre, ut ſcripto eas comprehendere putarit neceſſarium *Valerius Probus* in Libello de interpretandis Romanorum Literis, ubi primis Capitibus XXI. ordine alphabetico, publicas has literas in monumentis Romanorum uſitatas recenſet & explicat, reliqua capita de variis Romanorum nominibus, notis ac literis ſingularibus in Legibus & Plebiſcitis, in Actionibus in Edictis perpetuis, inſumens. Quanquam vero ſcribendi compendium facerent, cum v. g. S. P. Q. R. Scriberent, pro Senatu Populo Que Romano; ambigua tamen lectione & Lectores intricabant, & non raro fallere obſervati, ut ignorabiles has literas, ſicut apud *Apulejum* veniunt, ſingulari dictionario *Tullius* feratur expoſuiſſe. Ambiguum certe Lectorem reddunt & ſuſpenſum, cum MTR de Matre & de Matertera accipi poſſit, Præt. ſignificare queat & prætorem & præterire. Qua literarum ſimilitudine cum res diverſiſſimæ notentur, non raro decipiendi Lectorem oc-

ca-

caſio nata, ſicut manifeſtum eſt ex Hiſtoria *Rutilii* Juriſconſulti : Scaurus quippe abſolutus crimine ambitus, in Rutilii accuſatoris ſui tabulis oſtendit has literas, A. F. P. R. eaſque ſic interpretabatur, Actum Fide Publii Rutilii. Rutilius contra ſic Ante Factum, Poſt Relatum. C. Cannius vero, qui Rutilio aderat, exclamavit neutrum ſignificari, ſed illud, Æmilius Fecit, Plectitur Rutilius. Hinc cum in Libris Jurisperitorum frequentius legerentur magna Rabularum fraude & clientum pernicie, *Juſtinianus* abrogare coactus eſt, eandem pœnam falſitatis conſtituens adverſus eos, qui in poſterum Leges ſuas per ſiglorum obſcuritates auſi eſſent conſcribere. Omnia enim, id eſt & nomina prudentium & titulos, & Librorum numeros, per conſequentiam literarum voluit, non per ſigla manifeſtari; ita ut qui talem Librum compararet, in quo ſigla poſita eſſent in quocunque loco libri vel voluminis, ſciret inutilem ſe eſſe codicis dominum; neque enim licentiam aperire ſe ex tali codice in judicium aliquid recitari, qui in quacunque ſui parte ſiglorum haberet malitiam. Sigla vel ſingla dicta à voce ſingula, ſicut explicat *Cujacius*, & ex textu Juſtiniani evidens videtur, quicquid de Sigilio ſcribat *Gregorius*

Toloſanus. Licet & ſiglum, illo interprete, ſi pro nota accipiatur qua intelligitur plus eſſe intelligendum quam expreſſe ad longum, ut dicunt, ſcriptum ſit, pro ſingula litera capi poſſit. Certe apud *Valerium Probum* ſinglæ de Literis ſumuntur & ſingulas literas expreſſe manuſcripti & Libri editi habent ab *Ernſtio* noſtro in notis collati. Nec in Romano & Veneto Codice *συνκοπή* aliud notat, quam totius verbi in una litera contractionem, qua Librarii in ſcribendo uti ſolebant. Niſi ſiglæ de literis quæ præter literæ vociſque ſignificationem, ſuo ſigno rem totam notabant, accipiantur. Signa enim alia inter ſcribendum adhibebant veteres, præter literas, ne intelligerentur ab aliis, quæ ſigna iccirco a literis diſtinxit *Sidonius Apollinaris*, & pro nomine poſuit *Naſo:*

Scis bene cui dicam poſitis pro nomine ſignis?

Ciceroni σημεῖα vocantur, per quæ ad Articum ſuum de Legatis ſcripſit. His ſignis Notarii in ſcribendo tanta celeritate excipiebant dictata, ut volare per cereum æquor, h. e. in pugillaribus cereis, dicantur *Auſonio* & præpetis dextræ fuga loquentem prævenire. Horum beneficio & compendio citata oratio excipiebatur, ut loquitur *Seneca*, & anguſta pagina Libri vaſti arctabantur. De

Ilia-

Iliade *Homeri*, quæ verſus habet unum & triginta mille ſexcentos ſeptuaginta, prodidit memoriæ *Solinus* notis ſcriptam adeo fuiſſe brevem, ut nucis unius teſtulis geminis tota clauderetur, quod minutiſſimis characteribus curioſos vidi in aliis imitari velle, ſed impar fuit congreſſus Achillis. Periit enim hoc ſcribendi genus per notas, quanquam alibi in Bibliothecis extare adhuc libros harum notarum, fama acceperit *Lipſius*, quos edi optavit, cum dolendum ſit artem utiliſſimam periiſſe, reparabilem tamen, ſi libeat adniti. Ad has ſigna Ægyptiorum Hieroglyphica pertinent, quorum guſtum nobis dedere *Kircherus* & *Bangius*, & Characteres Chinenſium, quorum ſinguli rem totam denodant, vix à *P. Martinio*, qui ætatem in China conſumpſit, explicandi, cum numerum Sexaginta millium ſuperent ex calculo Mandeſloviano. Notas ſuas ſcriptores ſinguli habent, quilibet in ſuo ſtudiorum genere, quibus artium ſuarum ſecreta & abditos ſenſus occultant, vel literis ſolis, vel ſignis illiteratis. Caballiſtici Doctores Ebræorum in ſingulis ſyllabis & literis Codicis Sacri myſteria quærunt, *Danielem* Prophetam imitati, qui Mene, Thecel, Phares ſic eſt interpretatus, ut ſingula verba ſingulas ſententias in-

dicarent. Iidem initiales ſolas literas pro toto contextu ponunt. Et *Divo Cypriano* dicitur auctum eſſe *Ciceronis* Lexicon de Notis, ut eccleſiaſticis juxta prodeſſet & profanis ad arcana celanda. Juris Conſultorum Libri Notis olim ſcatebant, quas à literis diſtinguit *Briſſonius*. Eas vero propter peſſimum abuſum abrogatas, ex *Juſtiniano* Imperatore monuimus. Pauca adhuc veſtigia ſuperſunt, clientibus innoxia, imperitis tantum crucem figentia. Modum legendi Juris abbreviaturas ſingulari libro *Anonymus* detexit ſeculo ſuperiori Pariſiis apud Guil. des Boys editus, quem in Bibliotheca Academiæ inveniet quiſquis in his erudiri cupit. Servantur duæ notæ literales ff & D, quæ Pandectas ſeu digeſta ſignificant. ff. ex Græcorum π ab indoctis ſcribis depravatum, quo ſigno cum accentu circumflexo Pandectæ olim ſcribebantur, vel quod literæ geminatæ perfectionem denotent, vel quia per duos Imperatores Federicos ruminatum & digeſtum ſit jus. D. autem ex prima vocis Digeſtorum litera remanſit, ſicut ex Codice C. Paragraphus quo ſententiæ diſtinguuntur, vel magnus eſt vel parvus indeque duplici ſigno diſtinguitur. Nam parvus paragraphus niger eſt de encauſto hac forma §, qui debet legi cum

ſua

determinatione ſequenti, à paucioribus θέμα etiam vocatur, ex cujus vocabuli litera initiali θ ſignum illud § profectum quidam affirmant. Hic autem communiter ponitur in gloſſis vel in ſummis recollectis. Magnus Paragraphus ſic ſcribitur ¶, colore alio, nempe rubeo, vel flavo. Hic legi non debet, licet in legendo quando invenitur, pauſare debeamus, per eum enim textus & ſummæ diſtinguuntur, ne fiat in legendo confuſio. Vrevius recentiores dicta comprehendunt, ut Tituli ſeu capita habeant paragraphos ſuos, quibus res ſubjiciuntur, & rubrica notabantur illi: Nigrum illud ſit quod titulo ſubjicitur & explicatur. In allegationibus quoque abbreviationes amant Juriſperiti, quas noviſſe ex re erit ſtudioſorum, ne vel in legendo aberrent, vel in ſcribendo irrideantur. Totum artificium in eo conſiſtit, ut quando allegatur aliquis textus Juris primo ponatur nomen Libri ſive Digeſtorum per duplex f, ſive Codicis per C. ſive Feudorum, poſtea titulus vel rubrica: deinde apponatur Lex illius tituli cum ſua determinatione vel numero ſequenti. Et ſi Lex ſit longa, ponatur § primus, vel ſecundus &c. Exempli gratia: ff. de damno infecto, l. ſi finita, §. ſi quis autem. Cujus abreviationis

nis hæc eſt ſignificatio : In Libro Digeſtorum, ſub titulo de damno infecto, in lege quæ incipit, ſi finita, in paragrapho, ſi quis autem illius legis. Similibus exemplis ex Codice, Authenticis, Feudis, Juris Canonici Libris rem hanc illuſtrant alii. De his enim JCti ſint ſolliciti. Nos Medicos curamus, quorum Libri ſignis technicis referti conſpiciuntur, quorum origo & derivatio obſcurior. In primis menſurarum & ponderum varios characteres excogitavit ſolertia Medicorum multis retro ſeculis numeranda, quos ex variis veterum monumentis & nummis in unum collegit *Rhodius* noſter in diſputatione poſthuma de ponderibus vett. Medicorum, ſtudio noſtro non ita pridem luci donata. Parcior tamen in his notis *Hippocrates* prudentia inclytus, apertis nominibus pondera & menſuras in Operibus ſuis tradere maluit, quam notis dubiis. Liberator *Celſus*, communem errorem erraturus, Artis Medicæ arcana ſignis non vulgaribus prodidit, ſed poſteris ſemet incaute obſcuravit. Notæ enim illæ, ſicut optime diſſeruit *Rhodius* noſter, vel diuturnitate ævi obtritæ ac deletæ, vel Librariorum negligentia aut temeritate mutatæ ſive tranſpoſitæ, vel ſœpe infelici Correctorum manu vitiatæ,

aut

aut Typographorum ignoratione penitus omiſſæ, innumera, in Celſum alioſque Medicos antiquos παραγράμματα invexere. In Libris recentiorum Medicorum vix alia ſigna retinentur, præter pondera, etiam Pharmacopolis lippis & tonſoribus nota, qui ℔ libræ eſſe notam, ℥ Unciæ, ʒ Drachmæ ℈. Scrupuli, gr. grani, haud ignorant. Nec latet illis, quid ana, p. æ, quid q. s. quid ſ. a. in Medicorum ſchedulis ſibi velint, ut ex ſingulis partes æquales, vel quantum ſufficit, ſecundum artis præcepta in componendis medicamentis ſumatur. Non parum tamen detrimenti & Scriptores Medici & Tyrones lecturi ex notis iſtis capiunt. Nam Typographorum Scribarumque incuria aut inſcitia facile notæ confunduntur & depravantur, unde Medico Auctori infamia, Tyroni male ſigna diſtinguenti & ægris exitium manet. Chemicorum ſcripta his quaſi floſculis nimium ſuperbiunt. Tot ſignis elementa, metalla, mineralia & artis pyrotechnicæ opera involvunt, ut integro Commentario indigeant, & Oedipo Sphingis ænigmata ſolvente. A Jove ſummo in caput mortuum deſinunt. *Crollius, Schrôderus* plerorumque ſignorum Chemicorum explicationem tradiderunt, magno præmio Lectoribus

commendandi. Sed legenda omnia & noſcenda; ut Libri Chemicorum intelligantur, non imitanda. Quippe male expreſſa ſigna vel non ſatis cognita, multis vitæ periculum accelerarunt, exempla, quæ terreant, in recenti omnium memoria verſantur, cum ſignum Mercurii vivi, appendice fatali addita in ſublimatum degenerans innocentiſſimum puerum miſere non ita pridem Rœskildiæ jugulaverit. Unde ſapientiſſime in nuperis Conſtitutionibus Medicis ſancivit *Auguſtus* Rex noſter, ut integris Literis, non ſignis, medicamentorum formulæ ſcriberentur. In *Hippocratis* Epidem. notæ occurrunt, quas *Galenus* in Comment. negat ab ipſo Hippocrate adjectas, non male tamen additas *Valleſius* cenſet. Formulis ſuis Medici præfigunt R, quod Recipe notat, ſeu, ut loquitur *Scribonius*, accipe. Veteres tamen ignorant hanc abbreviaturam. Nam hanc notam antiqui Librarii adponebant ad locum cui aliquid deeſſet ad ſententiæ integritatem, quod requiri deberet, & inveſtigari. Ita quippe notatur in veteribus Libris R. Eodem modo illud R. apud *Plinium* aliquando in textum irrepſiſſe judicat *Salmaſius*. Mathematicorum ſigna vel in cœlo finguntur, vel ex ſublunaribus efformantur. Signa Zodiaci &

Pla-

Planetarum monſtrantur in Calendariis, & vulgo ſunt notiſſima. Numerorum notæ apud Ebræos, Græcos & Latinos ex Literis deſumptæ. De Numeris eorumque Notis apud Romanos res inter omnes confeſſa eſt, quod omnis quanquam numerus ex *Boëtio* per figuram unitatis repræſentari deberet, ut denarius per decem unitates, novenarius per novem, & ſic de aliis; tamen quia hoc pareret faſtidium, inſtitutum fuerit, ut omnis numerus uſque ad quinarium per figuram unitatis repræſentaretur, ut unitas per I, Unum. Binarius per II. duo. Quinarius per V. quinque. Denarius per X, decem. Et notari probe monet *Probus*, quod quantum addit compoſita litera I ad X, tantum demat ei præpoſita. Plura hujus notæ apud ipſum *Probum* legantur. De Græcorum notis Arithmeticis fuſius agunt *Herodianus*, *Hadrianus Amerotius*, aliique. Sex illi tantum literis alphabeti in deſignandis numeris utuntur, ΙΠΔΗΧΜ, quarum I. unitatem ſignificat Π πέντε, h. ê. quinque, Δ δέκα decem, Η ἕκατον Centum, Χ χίλια mille, Μ Μυρία decies mille. Quæ omnes præter Π, uſque ad quaternarium multiplicantur. Decadum vero, Centuriarum & Chiliadum ac Myriadum quinarios hæc elementa ΔΗΧΜ literæ Π

 in-

incluſa ſignificant, ut Δ incluſum in Π, efficiat 50, H incluſum in Π 500, X incluſum in Π 5000, M incluſum in Π 50000 & ita porro. Sed Zifræ, ſeu Barbaricæ Arithmeticorum notæ, quibus vulgo utimur, ab Arabibus ſunt inventæ ſeu à Mauris, unde ad Hiſpanos, qui Maurorum imperio fuerunt ſubjecti, & denique ad omnes Europæos pervenerunt, primò diſſimiles hodiernis, poſteà avorum memoria, hac forma interpolatæ, quæ nobis in uſu. In Oriente tamen notas etiam arithmeticas in uſu fuiſſe olim ex *Cedreno* apud *Baſilium* liquet, qui notarum loco literis uti juſſit, quas etiam ruſtici legere poſſent, in quem finem de ſuo ſumtus in chartas, literas atque Scribas ipſe ſuppeditavit. Sic amarunt alterna numeri vel literis vel notis expreſſi. Recentiores Arabes numeros ab Indis mutuatos ſcribit *Erpenius*. In Algebra ſpecioſa cum Zifræ antehac eſſent adhibitæ, *Carteſius* literarum notas ſubſtituere maluit, quarum ſignificationes ex ipſo Auctore ejuſque interpretibus *Scoteno*, *Beauneo*, & fratre noſtro *Eraſmio Bartholino* peti debent. Quibus *Renaldinus* addi poteſt. De notis Muſicorum, à *Guidone Aretino*, vel antea à *Beda* inventis, nihil attinet hic loqui, quarum differentiæ Muſicis noſtris no-

tio-

tiores ſunt quam mihi. Nec notas Magicas hac pagina dignabo, à *Cornelio Agrippa* aliiſque curioſæ artis fautoribus propagatas, quas conſultius ignoramus, quam damno ſalutis diſcimus. Nam à Librorum iſtorum lectione prorſus abſtinendum, quia occultis notis pactum cum malo ſpiritu initum produnt, ſcientiam doloſo cineri occultantes. Nolumus tanto periculo artes abſconditas mercari. Videntur quidem innoxiæ notæ ſed ſecum tacito conſenſu Dæmones vehunt. Id quod ſuo damno ſtudioſus quidam expertus eſt, quem ferunt, cum in abſentia Agrippæ in Muſæum uxoris indulgentia admiſſus, occultas notas in Libro iſto obvias lectitaſſet, ab homuncione cujus formam Dæmon aſſumpſerat, qui ſe vocatum dicebat, faucibus præcluſis fuiſſe ſuffocatum, peſſimè mali Libri curioſa lectione mulctatum. Notæ autem quibus Veteres in Librorum compendiis gaudebant, verba & ſyllabas contrahentes, non tam Auctorum arti quam ſcribarum feſtinationi ſunt adſcribendæ. Illi in metro ſynalæphas nonnunquam amarunt, qualis in *Catullo* multas *Scaliger*, & in *Plauto Scioppius* obſervarunt, v. g. hoceano S', id eſt oceano ſe, fruſtr'es, id eſt fruſtra es, ſuperſed' iſtis, h. é. ſuperſede iſtis, & quæ hujus cenſus plura occurrunt. Horum vero celeritati plures errores imputandi, paſſim in Manuſcriptis obvii, vel abbreviationes. Hinc etiam præcipuam cauſam variantium in Auctoribus utriuſque linguæ lectionum *Conr. Rittershuſius* accerſit, quod Librarii, qui ex librorum deſcriptione victum ſibi quærebant, inſcitia, ruditate vel incogitantia, vel non intelligerent, quæ ſcriberent, & ita ſæpe nobis monſtra verborum, trajectis perturbatiſque literis, ſyllabis, dictionibus procuderent: vel quod etiam

intelligentibus ſœpe manus mentem in ſcribendo præcurreret; quodque ſemel ſcripta, vitandæ cauſa deformitatis, & ne quid pretio librorum decederet, delere nollet. Ex hac Librariorum imperitia vel verborum contractione, tranſpoſitione & varia Auctorum loca corrigenda judicavit *Fr. Robertellus*, & exemplis illuſtravit, qui de hoc argumento legendus eſt. Literati tamen Librarii in deſcribendis Auctoribus celeritati ſtudentes ſine errore aut ignorantia abbreviaturis pluſculis verba contrahendo Lectoris promptitudinem remorantur. In Manuſcriptis Longobardicis iſtas offendimus abbreviaturas, alibi colligendas, quas ſervatas auctaſque videmus in primis Editionibus Auctorum ad exemplaria Longobardica, quæ alioquin optima, excuſis, & in vaſtis Theologorum Scholaſticorum, Juris Gloſſatorum & Avicennæ Interpretum voluminibus, quæ hodieque in Bibliothecis aſſervata cum tædio leguntur. Non iſtis characteribus ipſi Auctores Romani ſunt uſi, ſed quadratis & cubitalibus, quales Inſcriptiones Romanæ habent. Nuſquam tamen talia Volumina extant, neque ab ipſis Auctoribus ſcripta, quantum ego quidem viderim. Perierunt tot olim bellorum motibus, & urbium incendiis à Barbaris, Gothis, & Longobardis, ut vix paucorum manibus exarata effugerint publicas ruinas, ad quorum normam deinde uſitato charactere Longobardico in clauſtris Monaſteriorum ſcribæ, poſtquam *Carolus* Magnus halcyonia, pulſis Italia Longobardis, procuraſſet, certatim plurimorum copiam fecerunt. Quibus deinde ſucceſſerunt ante Typographiæ natales alii in Italia ſcribæ, qui minutiori charactere curſoriaque manu Manuſcriptos Codices, à prioribus ætate & elegantia diverſos exararunt. Si autographa ve-

veterum ad noſtram ætatem perennaſſent, ingenti Criticos onere ſublevaſſent, inemendandis Longobardorum & Scribarum poſteriorum erroribus occupatiſſimos. Ex illis *Plinii* tempore ſuperfuerunt nonnulla. Et αὐτόγραφον *Sophoclis*, *Euripidis* & Æſchylis ab Athenienſibus prece & minis pro Bibliotheca ſua *Ptolomæus* Ægypti Rex obtinuit. De Pandectis Florentinis *Marſilius Ficinus* judicat proprie fuiſſe ab ipſo Juſtiniano compoſitos, neque ſolum transſcriptos, ſicut teſtatur manu propria in calce Tomi primi Pandectarum. Fateor magnam antiquitatem præ ſe ferre iſtas membranas, majuſculis etiam characteribus ſcriptas, adeoque non ſine veneratione à nobis aliiſque inſpectas: ſed manu Imperatoria, vel ejus ſeculo ſcriptas conjectura tantum *Ficinus* aſſequutus videtur, licet ipſe interfuerit, cum A°. ſalutis 1486 reperirentur. Erroribus enim variis ſcatere deprehendit *Anton. Auguſtinus*, qui beneficio Magni Etruriæ Ducis penes ſe hunc Codicem diu habuit. Præter abbreviationes frequentes Longobardica Manuſcripta etiam literarum permutatione varia ſcatent, ex qua ſenſus non raro dubius, lectio varia, & contentionis occaſio inter Criticos naſcitur. Collegit ea ordine abecedario *Scioppius* de arte critica, ſicut in variis manuſcriptis invenit, ut emendandi Auctores facem Eruditis accenderet. Nam, ut à primo elemento ordiar, literam a paſſim obſervavit ſcriptam pro d, ut avorum pro duorum, pro e, ut potaſſe pro poteſſe, pro i, ut ante pro inte, pro o, ut calles pro colles, quom pro quam, pro u, ut amor, lacus, latilant, pro humor, lucus, lutilant, cum ægre in veteribus libris a ab u internoſcatur. Sic per ſingula literarum elementa progreditur magnus ille Criticus

cus, docetque porro in Manuſcriptis hujus modi multa eſſe corrupta, omiſſa, ſupervacua, tranſpoſita vel dictantis vel ſcribentis culpa, hujuſque negligentis, Characterum ſimilitudine decepti, & compendioſa ſcriptura utentis. In compendio enim hoc nonnunquam literam aliquam majuſculam poni, quæ innuat ſe à lectore prorſum vel retro repeti debere, quo nihil in *Pandectis Florentinis* ſæpius occurrit. Sic apud Apulejum *Stewechius* ſcribit, in lemurES reformant, pro in lemures ſe reformant. Ipſe *Scioppius* apud Petronium, TrimalcionIS copanta eſt, pro Trimalcionis Sycophanta eſt. Sic MS *Symmachi*, SaTEmporis pro ſat temporis. Præco in Manuſcripto *Camerarii* Bacchidis pro pr' co id eſt pro æquo. Ita in *Pandectis Florentinis* in l. LII. Librorum § ult. de leg. III. dictuliothecaM eam pro dactyliothecam meam. Id quod ex *Feſto* & *Iſidoro* illuſtrat *Radulph. Fornerius*: Integra quoque verba ita per compendium decurtata, ut Reip. Pro Reipublicæ, placidum pro pellucidum &c. in fine diſſertationis eruditæ laudatus *Comes Scioppius* perſequitur, quem adeant, quos hi in legendo ſcrupuli deterrent, & à melioribus Libris ſeu Manuſcriptis ſeu editis avocant, ne quidquam amplius ſit reliquum, quod nos remoretur quin per libros omnes inoffenſo pede progrediamur, ſed DEO duce, qui veſtigia tuta eſſe jubeat quæ ſequamur.

F I N I S.

12.5